
FREYTAGII.

CURATIONES MED: CHIR:








WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

JOHAN: HEINRICI Freytagij U. M. D.
Chymiatrici & Practici Halberstad:

Catalogus testium Veritatis Chimiatricæ

Hoc est

OBSERVATIONES

SEU CURATIONES MEDICO-CHIRURGICÆ, SECUNDUM METHODUM RENEALMÆAM Poterianam, Fabrianam, Rulandinam, Salanam, Fioravantéam, Paracelsicam, Hartmannianam, &c. inqvibus liquidissimè demonstratur Quomodo Citò Tutò & jucundè curari possumus.

Lectori Benevolo S. & O.



Zizaniarum in agro Medico-Chirurgico affatim est, frugum perparùm. Conqvesti eâ de re Practicorum præclarissimi qviq;, qvi tandem ad Empiricationes delapsi Pseudo-Galenisticas stipulas, Arabica dumeta, Græcanicas sentes, Batlaeorum vepreta tricasq; inextricabiles Vulcano spagyrico exurere partim, partim Antimonij plumbiq; examini probatorio, qvod obrizum in confusa & adulterata illa infinitorum Scriptorum massa latitabat, subjicere, Mercurijq; Amalgamate in unum ex Chao isto congregare cœperunt. Qvos inter primi omnium, qvi proximo & hoc ipso floruere seculo, Gallorum, Renealmus, Droëtus, Poterius, Faber, Qvercetanus, Turqvetus, Riviçrius; Italorum Sala, Cornachinus, Bovius, Fioravanta, Bartoletus, Magatus, Zapata; Hispanorum solus, qvod sciam, Rod. à Fonseca; Anglorum Mouffetus, Franc. Antonij, Jo. Dec.; Germanorum infiniti, cumprimis verò magna illa Germaniæ Lumina, Rulandus, Horstius Sennertus, Zwingerus, Arniseus, Mynsichtus, Hartmannus, Tenzelius, Basilius Valentinus, horumq; omnium dux & Coryphæus Paracelsus emicuêre;

qvi Vetuſtiſſima(nova enim præ his ſunt pſeudo Galenicorum Phantaſmata) Chymicorum & Medicorum genuinorum (tales vôco qvi verborum, qvàm rerum parciorés, opera artis qvotidiè præſtant potiùs, qvàm promitrunt,) monumenta ab interitu vindicantes, obſervantionibus & ſcriptis ſuis nunqvàm intermorituris veram Medicinam ex Hippocratis Orco, in qvo Arabum, Græcorum &, Latinorum plerorumq; incuriâ delituerant, curiosè & maſculè retraxerunt, priſtinoq; reddiderunt nitori Horum, veſtigia ab ineunte ætate ſeqvutus Ego plurimorum, qvos nominavi, tantorum Æſculapiorum pediſſeqvus & Diſcipulus, cæpi ab annis retroactis qvindecim, qveîs continuè Medicinam ; Chirurgiã verò annis ferè decem hinc inde per Noſodochia cumprimis, & Exercitus militares, facio, ſubolfacere fucum penicilli & piſtilli Pſeudo-Galenico, tantoq; commodiùs, qvod Patre natus Galenico Profeſſore primùm Helmſtadenſi, poſt ſereniſſimi Brunſv & Luneb. Ducis, Epiſc. Halb. Heinricj Julij, Conſiliario & Archiatro, Viro diſciplinarum Ariſtotelicarum lingvarumq; exoticarum peritiſſimo, cum præſtantiſſimis id genus Profeſſoribus per utramq; Germaniam, Angliam, Galliam, Italiam, &c. converſarer familiariùs, eorundemq; per Academias hauſtas traditiones & praxin privatiorem, qvam magno ſtudio, eoſdem ad ægros concomitando, obſervabam, haud minori cum induſtria in actum deducere ſtrenuè allaborarem Verum deſeruiſſet me, (pace dicam Pſeudo-Galeni-

corum: Cum doctis enim & candidis Galenicis tantùm abest ut disputem ego, aut litigem, ut ultrò ipsis, qvi veritati suopte cedunt impetu, omnem honorem deferam, meq; in multis ipsorum lautissimæ eruditioni cognoscam imparem) omnis qvalitatum relollaciarum apparatus, nî altiùs qvidqvam & substantiæ ætherii elementoq; stellarum correspondens contribuere ægrotantibus, nugisq; trivialibus Practicorum semicoctorum vesaniq; mundi impijs ludibrijs abstinere, à puerilibus didicissem annis. Hinc tantæ in me injuriarum, calumniarumq; depluerunt hucusq; imbres, qveis ne qvid ad extremam desit acmen, suggestos malè derelictos, fumosq; Zythepsicos, fulmina, de pelvi & mortario experiri cogor: Nec desunt ex omni Prædicamentorum maleferiatorum genere, qvi cominùs & eminùs me adorientes aliqvid Carpant, salivæ concedens suæ, appetituiq; canino. Qvos suaviter huc usq; ridens bonæ sanæq; menti scelerumq; vindici Deo, causamq; justissimam, qvam viriliter, dum vivo, agam, recommendo: Mea verò hæcce qvaliaqvalia iis, qvi utriusq; medicinæ Hermeticæ inqvam, & Galenicæ periti sunt, (reliqvis, ad culinam suam, dum prodeat Catalogus, facessere jussis) imò Serenissimis & Illustrissimis meis Principibus, bonisq; qvibus inscripsi alijsq; id genus, omnibus & singulis, dijudicanda transmitto, meq; offero.

S. S. S. S. S. S. Celssit. T. & Reip. Med. devotiss.

Servum,

Johan Heinr: **Freytag** *U. M. D.*

Testis primus, Qvartanæ.



Vartanas secundum Galenicos, incurabiles esse ostendit schola Salernitana versu rhopalio.

Hydrops, Qvartana, Medicorum scandala plana:

Ego binos excipio casus, viscerum scilicet corruptionem, aut enormem aliqvam eorundem labem, & radicatum scorbutum: Reliqvos omnes & hydropas & qvartanas curatu facillimas esse, ostendere jam dudum Qvercetanus, Renealmus, Poterius, Faber, & alij per curatorum (sed Chymiatricis remedijs) exempla. Ego unicum atq; alterum in frontispicio hujus Centuriæ addam, reliqva reliqvis reservaturus:

Generosi & Nobilissimi Domini *Heinrici à Metternich*, Heidelbergensium Anno 1630. Gubernatoris famulitium qvoddam, rhedarius, ni fallor, ab aliqvod mensibus continuis febre decubuerat tertiana duplici, qvæ in qvartanam degeneraverat, nec qvicqvam ex Medicorum & Professorum Heidelbergensium præstantissimorum operâ senserat levaminis, melancholicus admodum-

dum, & ut solent, desperabundus. Hunc curæ traditum ab ijsdem meæ, aliqvod spacio dierum paucissimisq; meis antifebriticis pulvisculis perfectæ, post Deum, sanitati reddidi: non ignorantibus idipsum, sed admirantibus Dom, Gubernatore, Medicis, totâq; Academiâ civibusq; omnibus curationis felicitatem & compendium; *Rodentibus tamen Invidis. Ne jupiter quidem placet omnibus!*

Testis II. Qvartanæ itidem.

Nobilissimus Dominus Johannes Jacobus Schweickhardus à Freihausen, L. L. & Matheseos peritissimus juvenis, Reverendissimi & Illustrissimi Wirceburgensium Episcopi Stipendiarius, eâdem ab aliqvod mensibus pessimè habebat Qvartanâ qvam Professores & Medici practici Wirceburgenses exercitatissimi licet, ne palliare qvidem poterant. Hunc unicâ antifebritici mei, circa tempus paroxysmi exhibiti dosei pristinæ valetudini, qvam anxius desiderabat, restitui actutùm. Neq; tamen deerant, qvi miraculum (ut sic dicam) Chymiatricum apud Reverendissimum & Illustrissimū Principem extenuantes, Auctoremq; calumniantes invidiam mihi conflare Aulicorum & populi studebant, qvos ridens prudentissimus & ingeniosissimus Princeps Episcopus, & ad sensus ablegans, gratiosa munificentia, tanto Principe dignâ me prosecutus est.

 Nec

Audeat in caulà, qva tunc fuit ausus in aula Livor?

Testis. III. Hydropis.

Catharina qvædam, Capitanei Florentini natione, ab Illustrissimo Senatu Veneto in Candiam cum exercitu destinati Uxor, Venetijs ad D Moysen in contubernio Mariettæ Tarvisinæ habitans, abdomen gestans aqvâ inter cute adeò distentum, ut fastidio esset marito militi, subsannantibusq; risui: Persuasa tandem post tergiversationes plurimas delicatula illa à marito & familiaribꝰ medicamentũ à Medico Germano acciperet & consanesceret: Mercurij viræ grana VI. glutijt, qvibus commota alvus putidissimum serum omne bidui spacio egessit, & mulierem sanam & vegetam multo post tempore, qvo eandem cognovi, reliqvit. *Num idem hic præstitisset cucumer suus asininus quod meus Mercurius, viderint Adversarij.*

Testis IV. Obstructionum Scorbutic:

Joannes Kerstens civis Halberstadensis de pondere dextrum gravante hypochondrium aliqvandiu conqvestus, decubuit tandem satis periculosè, &, ut putare qvis potuisset, & putabant omnes, lethaliter. Spiritum ducebat ægetrimè,

siti-

sitiebat, totus per intervalla incandescebat, anxie-
tatibus cordis & lipothymijs crebris, Spinæ &
intestinorum doloribus vagis, graviter adflictus; Hic
solo Paracelsi Diaphoretico continuis diebus ad-
sumpto aliqvot dierum spacio convaluit ab eo tem-
pore sanus & vegetus. *Tot medicinæ Pseudo Ga-
lenicæ Vana molimina stultorum ludibria recte-
ne dixit Renealmus?*

Testis V.

Eodem medicamento convaluit Dn. Heinri-
cus Seidentopff Advocatus Halberstadensis, cui
nescio qva de causâ commota bilis affectus exci-
tavit seqventes: Hepatis videlicet atoniam & ob-
structionem, unde ad icterum dispositio, tussicula
crebra, catarrhus omnia occupans, sensoria præser-
tim & ventriculum, undè oculorum caligo, pro-
stratus appetitus, lassitudo totius, aliaq; id genus;
Neqve tamen præter Sulphuris Lac ejusdemq; Flo-
res Bechicis remixtos adsumpsit prætereà qvidqvam
& intrà octiduum ex periculoso malo emersit, laus
DEO, incolumis hucusq;, nec ulli obnoxius,
qvantum qvidem mihi constat, id genus malo.
*Valeant, qvi inter Me & Dominam meam Chy-
miatriam dissidium qværentes ad culinam suam
me reducere frustrà allaborant! Ignem naturæ
qui novit, putrefacientibus abstinet.*

 Testis

Heroica qvædam mulier, Domini Seidentopffij Uxoris soror febricitare ex improviso, delirare, maculis conspergi pulicaribus incipit. Venæ sectioné Methodi ratione, corpori plethorico debitam delira ægra unâ cum consangvineis & adstantibus rennunt. Facto itaq; ad Alexipharmacon meum Elixir, qvod ternis Panaceæ meæ granulis imprægnaveram, transitu, altero post die symptomatum omniũ expers integrè convaluit, sine ulla hucusq; recidiva. *Verè observârunt Viri Cll: Grulingius & Forsterus, Alexipharmaca vulgaria respectu hujus vix umbras esse & Somnia.*

Testis VII, Variolarum.

D. Christophori Luderi Capituli hujus, dum viveret, Syndici, filiolus octennis, symptomatibus variolarum, ardore scilicet & lancinatione intestinorum, febre, delirio & alijs miserrimè afflictus, accepit potiunculam ex sale purgante alexipharmacis intermixto. Undè qvinqvies dejecit, bis blandè vomuit: Remisit ardor, pacata miraculi instar omnia. Persuasa à nescio qvo, ne reliqvam, uti ordinaveram, potiunculæ dimidietatem alterno post die concederet puello Mater, malignum secuta consilium, recrudescentibus paulò post omnibus, puerum, qvem in portu jam navigare credebat,

bat, buſto recondit. *Suo periculo ſapiat, qui optimis conſiliis anteponit peſſima.*

Teſtis IIX. Variolarum itidem.

M. Sigiſmundi Evenij filiolus ſexennis ijſdem cùm graviter decumberet variolis, præter Catholicum Elixir meum nil qvicqvam guſtavit Medicaminis, cui Bezoardici precioſi A. Salæ & perlarum coralliorumq; magiſteria ſemel atq; iterum ſubjunxeram, qvibus perfectè judicatus eſt intra octiduum. *Lentes decoquat, qui precioſis frui non vult.*

Teſtis IX. Luis ♀.

Ruſticus qvidam hujus viciniæ (Anonymus ſit ille) 30. annorum homo, de doloribus capitis immanibus noctu ut plurimum diſcruciantibus, ſcapularum qvinimò & extremorum, oſſiumq; dolore conqverebatur, brachia attollere, operibuſq; defungi ſuis ne minimum potens. Infantem ajebat à militis in infante contractum malum matri fotu in lecto cummuni ſuctuq; communicaſſe, unde ille infectum ſe putaret. Pauperculus autem cũ eſſet, & diætis Ligneis haud idoneus, methodo ll menſiũ me conformavi: Metallorum Croco hominem ſursùm deorsùmq; expurgans, Tartariq; animam

obſtructiones ſolventé, ſudoresq; concitantem eidem porrigens Qvib9 aliqvoties aſſumptis tubercula crurum miraculi inſtar diſparuère. Reliqvias luis ♀ diaphoretico eidem eximens curæ ſe ſubtraxit, barbitonſoribusq; commiſit, ubi tantum profecit bonus ille, ut pridem excluſus conſortio ſuorum ruſticorum calamitosé diu ſoluſq; unâ cum uxore infecta deliteſceret. Hanc tandem miſerè perijſſe, maritum maléne an bené curatum ſecundas celebraſſe nuptias audio. *Profuat novæ nuptæ balneum!*

Teſtis X. Luis ♀.

Hujus Uxor juvencula, phlegmatica, unà cum marito operam efflagitabat meam, ijſdem ferè obnoxia affectibus. Cui dum de ☿ dulcificato verba facio, Diaboli filium Hunc eſſe, idq; à Medico qvodam vicino ſe audiviſſe clamitans; renuit medicamentum. Si adſumſiſſet, teſtari de eo unà cum meretriculis Italis qvàm plurimis de ejus innoxiâ efficaciâ potuiſſet. *Ruſticæ rapas!*

Teſtis XI. Luis itidem.

Contraxerat ut dixi, iſthuc mali puellus annuus à milititis infante ex relictâ poſt ſe cucuphà infãti impoſitã, unde ſubſeqvuta parotis virulentiſſimam ſaniẽ evomens, herpete poſt elephantico totũ prehendente corpuſculũ, genitalia cum primis in

fan-

fantulumq; extinguente Diabolum illum meum ad exempulm famatissim orum Practicorum Horstij & Joh. Petri Fabri adhibuissem, uti infantulis reliqvis cum fructu facio cottidie Sed noluit mater; perire unà secum voluit infantem. *Mercurio culpam qvam impinget, sua qvi perit culpa?*

Testis XII. Luis eædem.

Nobilissimus qvidam Austricatus (Anonymum esse & hunc Meum & Dn D Breckenfeldij intimum, postulat ratio.) Parisijs mihi cognitissimus Româ asportabat Siphylidem Florentias, totus ex gonorrhæis. 2. annorum contabescens, sentus sqvallidus &c. Ab Amico forte fortunâ occurrente remedium petit & accipit, qvod propria manu, me gubernatore, confecerat Parisijs, ☉ scilicet Mercurij dulcificati ℈ cum totidem drachmis mass: pil. de hermod. & de ⊖ Alex: compactas, omnes intrà binum decendium deglutijt, singulis matutinis ℈I. Et Austriam, qvi vix eqves incedere ante poterat, pedes repetijt, robustissimus ex *diabolo meo factus. I. livor! & ut sapere videâre, conscientiam ejura, cælumq; vitupera!*

Testis XIII. Podagræ,

Qvi annis continuis maximorum Medicorum, & nuper qvoq;, uti referebat, Domini Sennerti Witte-

Wittebergæ operam frustrà erat expertus, Nobilissimus & strenuus Burchardus à Gladebeck Serenissimi Saxoniæ Electoris Capitaneus &c. adeò Arthriticus, ut à tribus famulis portari in domum Dn. Tobiæ Theringij mei, & cibum ori ab ijsdem sibi ingeri necessū haberet, usu ☿ dulcificati, utriusq; catholici, emetici scilicet & alterantis, & aqvæ meæ antipodagricæ, radicaliter ab istoc malô (si credere licet Nobilissimi & strenui à Mitschefall ad me exaratis literis, eadem pro literarum Auctore remedia postulantibus) convaluit. *Et non ausit aliquis ultrà pyxides pharmacopolii sapere imposterum?*

Testis XIV. Tineæ.

Consulis Meschmanni fautoris & compatris mei filiolus, septennis, ni fallor, Tineâ laborabat ferâ cum tuberculis duris totum caput obsidentibus, parotidibusq; id genus. Phlegmaticus cum esset, & cruditatibus circa partes alvinas refertus, dedi eidem vomitorium, qvo genere remedij Tineis mederi solent nonnulli, unde multa evacuavit; posteris diebus ☿ dulcificatum cum pil. capitalibus: Tineæ lixivium detergens sulphuratum balsamumq; sulphuris à tonsore inungi curavi. Curatus perfectè est puellus, nec vidi mali qvicqvam aut recidivam ab eo tempore ullam, uti verò nugabantur mei adversarij. *Quid*

quisq

quisq; dicat ridere quàm refutare satius est illi, cui cordi sunt salus agri & veritas ipsa. Nunquam experientia; ut plurimum imaginaria fallit scientia.

Testis XV. Ulcerum fistolosorum.

Consulis Alschlebij nepos 8. annorum puer toto corpore scatebat fistulosis ulceribus, qvorum bina reliqvis periculosiora, altera summum humerum, altera muscolus intercostales cuniculatim pervadebat. Hunc à Tonsore qvodam senecione binis annis è thecula perunctum expurgavi aliqvoties dulcificato ☿ hellebori nigri extracto, & id genus alijs subjecto verminanti idoneis, unde blandè dejecit Fistularum callos Unguento meo Polychresto demoliri & fistularum latera balsamis detergentibus mihi familiaribus elui per eundem secretionem curavi, inde sanari aliqua, reliqva ad consolidationem dispo i, puerq; sceleton referens, carne vestiri occepit: Qvi hondum hucusqve integrè sanatus dicitur. Meam autem operam cum spernerent, manum ipsis tandem subtraxi. *Ingratis servire nefas.*

Testis XVI. Fistularum itidem ☿ dulc.

Ejusdem puelli sororcula septennis fistulosis itidem scatebat ulceribus, unoq; in manu carpo reliqvis periculosi re, cum dolore, in flammatione, labrisq; callosis, Hanc ab eodẽ Tonsore tempore con-

simili

ſimili fruſtra perunctam, qvod verminationis non levis adeſſet ſuſpicio; ex eadem ſcatula ☿ ata aliqvoties perpurgavi, & reliqva, modo fere conſimili, qvo in fratris ulceribus uſus eram, peragi à Tonſore curavi. Inde ſubſecuta, ni fallor, ſanitas aut ad eandem diſpoſitio. cujus complementum ſi qvis deſideret, *Se ipſum accuſet, ſuæ fortunæ qvi faber eſt.*

Teſtis XVII. Contractura ☿ dulcif.

Soror mea mellitiſſima Eliſabeth Dorothea viduaSteiniana, contracturam contraxerat brachij dextri ante qvadriennium, è ſcorbuto, ni ſigna me deceperunt oriundam. Huic toti ſcorbuticæ ☿ dulcificatum imperavi, cujus illa ℥j cum totidem uncijs maſſ. pil. de hermodact. abſumſit aliqvot menſium ſpacio. Brachium tabeſcens balſamis penetrantibus inungi curavi: Potum præſcripſi medicatum ex baccis juniperi herbiſq; antiscorbuticis: Unde curata bellé vivit, cui vicini carnifices diſtendendo, inungendoq;, Mediciq; conſulendo nil qvicqvam opis attulerant. *Et ſugillet adhuc aliquis ☿ meum!*

Teſtis XIIX. Torminum ☿ dulcif.

Molitor qvidam Wegelebienſis altero pede claudus de torminibus, qvæ ſcorbuticorum gere-

banr

bant idéam, lamentabilem in modum conqvestus, accepit ☿ dulcif. panchymagog. Croll. an. ʒß. ol. anis. gutt. VI. Deglutitis hisce pillulis, qvos præcesserat misturæ simplicis ʒß. syrup. f. eletyrb. inter mixta, integrè sanatus est sine recidiva. *Promissis dives qvilibet esse potest.*

Testis XIX. Luxationis.

Nobilissimus & strenuus Nicolaus à Rossaw, Serenissimæ Brunsv: & Lüneb: Viduæ in arce Schöningen Marescallus, brachium gerebat à scapula luxatione divulsum. Curaverant hunc Præstantissimi Marchiæ & Pomeraniæ Medici, tonsores itidem & carnifices bono numero, sed frustra omnes. Tandem mea & Clarissimi Domini Licentiati Martini Heinzij operâ, meis qvidem Litibus & emplastris balsamicis, illius verò curâ physicâ, ut vocant; restitutus in integrum est vir nobilissimus, qvi jamdudùm nil qvicqvam superesse opis putaverat. ***Luxationes restituit non violenta tractio, sed balsamica experiensq; inunctio***

Testis XX. Luis Vener. ☿ dulc.

Puella Osterwicensis 16. annorum lue venerea fœdata, cum alia respueret medicamina, aliqvoties accepit ☿ dulcificatum, saccharo remixtum

er pharmacopolio Halberstadensi, unde blandos habuit secessus & vomitum, (qvod non vidi ex ☿ dulcificato unqvam) unicum & alterum, qvoties eundem acciperet. Vix qvater aut qvinqvies eodem usa est puella medicamento, & sanata est. Ita retulit Præstantissimus Vir Joan. Riemenschneider Medicus Osterwicensis, cui hanc observ. accep tam referat Lector. *Num & Hunc reum Veneficii ages, Diabole?*

Testis XXI. fractur. Cranei

Justi Hasens Civis Halberstad. Uxor pauld supra temporalem musculum lapide acuto contusa concidit vertiginosa, cumq; ab initio Tonsor fracturæ signorum haud gnarus, vulnusculum exterius unguentô aureô inungeret, qvarto post die convulsio, febris, inappetentia, delirium, vomitus ingestorum, & circà affectum locum nescio qvis fragor percipitur; Huic neglectam ab initio venæ sectionem administro, fracturæ balsamum cephalicum instillo meum, & intra biduum à mortis faucibus mulierem eruo 18. vero dierum spacio fracturam cum vulnusculo præter spem omnium consolido. *Fracturas cranei agnoscere & curare Chirurgi est, non Tonsoris: Homicidij se adstringit, qvi imperitis has committit Testudinariis & Barbitonsoribus, Magistratus.*

Testis XXII. Menstruorum profluvij.

Rustica qvædam Werstedensis menstrui profluvio

fluvio ferè exanima ad me deducta accepit Panaceam meam, undè primô appulsu restitit fluxus, altero post die eandem reassumens morti erepta est præsentaneæ. Si centones *Pharmacopolij consarcinassem, perdidissem mulierem, ego saluti misellæ consulere malui.*

Testis XXIII. Hæmorrhagiæ.

Nobiliss & strenuus Henricus Adamus Pentz Serenissimæ Svecicæ viduæ Aulæ magister hæmorrhagia ab aliqvot septimanis ad tabem ferè deductus, metu cachexiæ aut hydropis accersiri me jubet, & humaniter postulans remedium binâ Panaceæ meæ applicatione consanescit. *Medicus expertus facilè invenit remedium morbi, putatitius non item.*

Testis XXIV. Delirij melancholici & vigiliarum.

Qvidam nostrorum civium ex nescio qvo perpetrato facinore per intervalla melancholicus & propterea commessationibus ad continuos dies indulgens, vigilijs distineri, spectrisq;, ut ajebat, terreri occepit. Huic plethorico admodùm venam secare volui, sed sangvine perterritus ille, sudore diffluens & contremiscens phlebotomiam interrupit timor. Demulceri itaq; animum amicorum colloqvio, qvietemq; misero conciliari curo, datâ sub noctem

Panaceâ; Qvâ iteratò adsumpta, hisce malis perfunctus est illicò vir bonus, nec biennij spacio recidivam sensit. *Tanta est panaceæ hujus virtus, ut & distractam à corpore animam reconciliare eidem eandem valeat.*

Testis XXV. Hæmorrhagiæ.

Puella septennis Advocati Ristenpadij filiola unica, ex hæmorrhagia naris jam ferè agonizans, accepit ejusdem Panaceæ meæ dosin unicam; qva actutum restitit sangvis, & reddita est parenti decrepito filiola altero post die; qvam pridie putabat mortuam. *Absit ut Pseudo-Galenisticus furor hanc mihi eripiat panaceam!*

Testis XXVI. Choleræ morbi.

Christiani Malfeldts de legione Crachtianâ Caporalis uxor, in procinctu mortis ob continuos aliqvot dierum vomitus Cholericos jam exsistens, reliqvis nil qvidqvam, qvæ contra præscribi solent, proficientibus, accepit ejusdem Panaceæ dosin unicam, qva adsumpta miraculi instar cessavit vomitus, & intra biduum actionibus solitis perfuncta liberè est mulier. *Mille receptis unicum, qui sapit, præfert experimentum.*

Testis

Teſtis XXVII. Scorbuti.

Qvi de doloribus ſcorbuticis ad deſperationem uſq; abdomen d ſcindentibus conqverebatur, Zythepſa qvidam Longolius in viculo illo à bonum divenditoribus cognominato è regione Malfeldij ſub tecto recumbens, acceptâ unica atq; altera panaceæ doſi, interjectis pauculis apeřientibus octidui ſpacio ad opera redijt; à qvibus morbi maleficio diu abſtinuerat, Zythepſica. *Fruſtrà Artem crepat Zythepſa Noſter, qui cerevisiam ſapidam non coquit unquam.*

Teſtis XXIIX. Eryſipelatis ſcorbutici.

M. Henningus Broſenius P. L. ad D. Pauli Eccleſiaſtes, Eryſipelas gerebat dolorificum & contumax in pede. Huic ♄ animam per ſplenia applicui, qva extinctus ardor & decendij ſpacio évanuit malum faſtidij haud expers. *Herpetem certô certiùs induxiſſem, ſi nugamentis ſolitis ſcorbuticam malignitatem exaſperaſſem.*

Teſtis XXIX. Apoplexiæ.

M. Hermannum Bonhorſt ad D. Mauritium Paſtorem & Miniſterij Halberſtadenſis Seniorem, virum opt, Apoplexiæ præludia adeò occupabant, ut neq; manus neq; pes amplius facerent officium.

Remedia petebat antepoplectica, sed frustra ab eo, qvi venæsectione confici, non alio remedio curationem & posse & debere judicabat. Renuentibus itaq;, ut fit, eandem consangvineis, utpote septuagenario viro sua qvidem opinione minus congruam, abeundi licentiam impetro. Re tandem maturiùs secum deliberatâ, me revocant, consilio acqviescentes meo. Celebratâ itaq; venæ sectione, stupor, tremor, impotentia artuum & reliqva remittunt eâdem die; Qvo tanto successu gavisa pientissima illa familia unâ cum ægro verè bono, executioni consilij mei & venæsectionibus, qvas imperaturus essem, sese offerunt promtissimos. Repetitâ itaq; eâdem altero & tertio post die ad ℥ ni fallor, VIII vel IX. pro vice, interpositisq; paucissimis ex oleis antapoplecticis odoramentis & litibus, aliqvot dierum spacio pristinæ Dn: Magistrum sanitati restituo. *Si stultorum in morem* à medendi methodo abduci me passus fuissem homicidam me, non Medicum præstitissem Plethora indicabat venæsectionem in corpore satis firmo, licet septuagenario. *Viverent* adhuc mille apoplectici, si venæsectionis usum scirent, qvos Æsculapios qvis æstimet, Medici nonnulli. Imo viverent centum mille alij ægri, viveret & *Consul Robeinius* si venæsectionem debitè administrassent medici Germani. Sed renuunt ægri eandem! Renuat itaq; & Medicus operam frustraneam & impiam. *Nemo* enim *Medico-*

dicorum tenetur ne Principis qvidem esse carnifex, etiamsi is postulet. *Unum qui perdit Artis neglectu hominem, homicida est, ait Sennertus. Qvidni igitur omnes qvi perdit aut plerosq;, Artem nesciendo, ægrisq; assentando?*

Testis XXX. Cardialgiæ.

Joannes Huddæus Mindensis civis noster, homo qvadratus & plethoricus cardialgia ab aliqvot diebus vexatus, qvâ strangulari se, noctu cumprimis, dicebat, circa vesperam me vocat, cum excubare ante lectum suum Mortam sentiret. Lipothymijs itaq; ex Plethora vires opprimente & spiritus cum corde commercium intercipiente, inducias vix usq; in crastinum concedentibus, venam hor 6. vespertina secui, ad libram integram & amplius. Nec mora data malo: Præscriptum ex pulvere stomachico Qvercetani Electuarium, qvorum medio eâdem nocte benè habuit, & altero post die convaluit. *Expeditissimum & tutissimum remedium, si ab intelligente cæteris administretur paribus, Venæsectio.*

Testis XXXI. Doloris post partum.

Ex doloribus post partum (aliqvorum Nachweche) laborans Consulis-Regentis Gerhardi

Hetlingij uxori, mundificantibus & aperientibus hystericis circà vesperam potionis formâ adhibitis, nil qvicqvam profeci. Injecto altero post die, Clystere ex rebus carminantibus, hystericis, &c. qveîs magnum illud impuritatum omnium microcosmicarum detersivum, qvod tanti in Clysteribus momenti facit Qvercetanus, indideram, disjectus est impetus omnis uterum & partes vicinas lancinans, & sibi restituta extemplò est puerpera. *Impuritas Antimonium; Locus affectus clysterem postulabant.*

Testis XXXII. Aqvæ intercutis.

Portentosum magis ac hunc, non vidi in vita mea hydropem, qvem porcorum castratoris, nomine Zimmermanni, alebat uxor. Adeò enim increverat alvus istius mulieris, ut erectè stantis genua ferè attingeret, & umbilicum spithamæ mensura extruderet. Curaverant hanc omnes hujus urbis & vicini Medici, nec indocti qvidem, sed frustrà; Qvod circà affectum ipsum, & causam, nec non & remedia non satis affectui proportionata (pace dicam eorundem,) aberrassent pleriq;, uterinum & nescio qvos alios affectus sibi fingentes. Mihi itaq; cum illa Halberstadium adventanti obtruderetur invito, facto in peiorem prognostico curam aggressus, omne ferè

serum

ſerum idq; putidiſſimum; Poſtqvam aliqvo-
ties blandè eandem expurgaſſem, & reſtitan-
tem ab aliqvot ſeptimanis urinam ♀ anima, ace-
toq; montano affatim prolicuiſſem, ſolutis ſimul
mixtura Andernacinâ obſtructionibus; per tibia-
rum poros ad urnas aliqvot, ſpacio dierum pau-
culorum Epithemate meo ſecreto extraho; ſine
ulla virium imminutione. Sed qvod bis recide-
ret mulier, & gangrænulas binas vel ternas obuli
magnitudine in tibijs acciperet, licet diligentiſſi-
mè viſcerum robori proſpicerem; gangrænaſq;
ne ſerperent, diu impedirem, mortem prædixi:
Qvæ intra decendium, dum grandiloqvus qvi-
dam barbitonſor ſanitatem remoto arbitro pro-
mittens, gangrænatos tibiarum muſculos ferè
omnes demeteret, ſubſecuta eſt.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum:

Reſpondet ad me ſuper hoc caſu conſultus Clariſſi-
mus Sennertus. Zoilo lividiores eſſe neceſſe eſt eos,
qvi ex hac methodo & medicamentis propoſitis
Medicum agnoſcere nolint. *Sed valeant Zo-
ili: iſtis enim ſatisfacere nec teneor, nec volo,
nec poſſum.*

Teſtis XXXIII. Lienis protuberantis.

Splenicæ Domini Andrææ Thielens uxori
adeò

adeò sub costis spurijs protuberabat lien, ut costarum extrema simul extrorsum egereret, & mulierculam tabidam relinqveret, unà cum fastidij plenis symptomatibus, lienis vitia inseqvi solitas. Huic pilulas bis dedi exphracticas meas, ex ammoniaco scilicet, croco ♂, salibus fraxini, absynthij & id genus alijs, undè commota alvus tumorem biduo egessit, mulier verò spacio octiduano integrè sanata, nuptijs consangvinei, uti spoponderam futurum, se stitit. *Facilis est curatio* plerorumq; adfectuum, si posthabitis aliorum placitis & vanaloqventia, medicamentis te instruas morbô idoneis. *Non verbis, sed herbis ostentet se Medicus.*

Testis XXXIV. Tumoris ex Cachexiâ.

Valentini Spenglers fabri ferrarij uxor ab aliqvot mensibus, aut, ni fallor, annis domi desidebat clauda, ex inflammata & inflata tibiâ. Cachexiæ croco metallico, Tumori aqvâ Æsculapij subveni, & octidui spacio commodè satis feci incedere mulierem. *Faciant simile qvid, qvi mundum verbis lactant, Chymicorum adversarij?*

Teſtis XXXV. Icteri.

Zachariam Bolſtat Ictericum valde, & hydropis patientem initia, periculoſiſſimeq; decumbentem, è lecto retraxi ſalibus aperientibus, unà cum ſpecificis qvibuſdam & epaticis, in formam Electuarij compactis: Alvo inflatæ & turgeſcenti cataplaſma diſcutiens adhibendo; Cumq; is paulò poſt ob errores in victu enormes (ſingulis enim matutinis jejunus aliqvot brejhanæ cantharos una cum ruſticis, & qvi eum qvotidie viſitabant, & alijs evacuabat) recideret, tonſoriq; ſe committens præcepta medica negligeret, judicatus à Morta eſt. *Serò ſapit, poſt mortem qui ſapit.*

Teſtis XXXVI.

Præſtantiſſimus Dominus Georgius Meyer U. J. Candidatus, Nobiliſſimæ à Veltheim in Aderſtedt & Dernburg/ &c. Advocatus, totus ex Scorbuto conſumptus & jamjam agonizans, alterum crurum ſiccisſimum, alterum circa malleolos inflatum cum ſummo dolore & convulſionibus monſtrabat, doloriſq; tumoris & convulſionis lenimen dum Chriſto animam commendaret, flebilem in modum poſtulabat. Curaverant eum, Medici præſtantiſſimi iſtius viciniæ ferè omnes, & inter alios Viri Clar. Dn. D. Jo. Wolffius Acad. Jul. Profeſſor, Præceptor qvondam meus, Licentiatus Marti-

Martinus Heinzius Helmstadiensium Poliatros & D. Valentinus Rupitius Ascaniensium Physicus Ordinarius, & ferè, qvotqvot continet Pharmacopolium, medicamenta adhibuerunt minima maxima omnia, qvæ magno numero lectum constipabant, sed sine profectu, uti ajebat. Tumori itaq; dolorifico Aqvam Æsculapij per splenia adhibui, qvô remedio intra biduum omnia affectum crus vexantia sympromata disparuêre, cum magna & ægri & adstantium satisfactione, qvô successu gavisi curam corporis internam mihi demandare instituunt, sed placuit Servatori nostro, dum ego interea temporis peregrè ad meos profectus essem, virum doctissimum in cœlestem avocare Academiam, ut expectatam in terris lauream cœlesti commutaret coronâ: Qvam & mihi suo tempore largiatur Æternus Pater propter merita Filij sui unigeniti. *Rectissimè, ni fallor scripsit Penotus, bonitatem senis falciferi omnem superare fidem, nec linguâ humanâ exprimi satis posse.*

Testis XXXVII.

Domini Scabini tunc temporis, nunc Camerarij Valentini Württen ancilla, ulcus circumgerebat cancrosum in mamma è præduris natum tuberculis cum labris callosis, lividis, multoq; fæto-

fætore & sordidâ purulentia. Hanc intra tres septimanas unico meo unguento ulceribus malignis curandis à me adjnvento eò reduxi, *Ut risui se exponant, qvi cancrum palliari non curari prætendunt.*

Teſtis XXXIIX. Palpebræ pendulæ.

Altera ejuſdem Domini, fautoris & compatris mei dilectiſſimi ancilla, palpebrarum alteram à ſuperciliô temonis violentia q. avulſam, ſine ſutura, ſine glutino, præterqvam balſamo vulnerario meô adeò jam monſtrat cicatricis expertem, ut jurare qvis poſſit, nunqvam qvid mali ſe ea parte paſſam, qvamvis ab initio caro fungoſa inde excreſcens multum mihi faceſſeret negotij, ut de motu palpebræ deſperare inciperem, qvem eidem reſtitui, DEO me adjuvante, expeditiſſimum. Oculum ex contuſione ab omni parte lividum, tumentem, exorbitantem, repoſui ſola adhibitâ ab initio Æſculapij aqva. *Chirurgus barbitonſor miſellam, ſat ſcio, exoculaſſet, ſi admiſſus fuiſſet. Videant itaq; Chirurgiam Galenicam Balſamicæ qvi præferunt, ne magno conatu magnas ſe nugas agere deprehendantur.*

Teſtis XXXIX. Vulneris contuſi:

Ejuſdem patroni mei ſervus, Balthaſar, cal-

ce eqvi in metacarpio exteriore periculosè percussus, solo Balsamo meo Vulnerario ligamenta, tendines, nervosq; undiqvaq; conspicuos & contusos octidui spaciô, me qvoq; absente revestiens, motu manus gaudet hucusq; liberrimô, sine ullo superveniente vel minimô symptomate. *Ad haram putrefacientia unguenta & Narthecia!*

Testis XL. Hypochoudr: affectus.

Dn. Joannis Georgij Oberricks Uxor à tenuiculis Hypochondriaca, cui tandem se associabat Scorbutus, qvem ex urinis, circa præcordia angustijs, pulsu, & alijs id genus signis deprehendere non erat difficile, accepit misturæ Andernacinæ aliqvot drachmas, Syrupis aperientibus & anti-scorbuticis remixtas, per dies tres vel qvatuor. Tantoperè angustata, & ferè continuô, maximè vero paroxysmorum tempore, tantoperè tamen adjuta ab hoc medicamento est, ut manum Dei & Medici primo se primi haustuli appulsu sensisse, cum gaudio confiteretur unà cum marito, qvem post referunt pœnitentiâ ductum qvod relictô Chymiatro Zythepsicæ culinæ concredidisset Conjugem. *Interdum delectat varietas: nullos tamen, ac Sympatriotas meos impensiùs.*

Testis XLI. Phthiseos.

Andreas Dilly pistor & civis noster, jam

sat

ſat tabidus ex provectâ phthiſi, purulentias ſangvini remixtas (qvæ pulmonis ulcus ſatis monſtrabant) continuo ſcreatu expectorans, paſtus à me linctibus eſt, qveis flores & lac ♀ oleumq; aniſi indideram, unde commodè reſtitutus eſt: Sed recidivam paulò poſt incurrens, Bacchi intemperantiæq; pediſſeqvam, alterius cujuſdam Medici curæ ſe committens debitas ingratitudinis & imprudentiæ pœnas morte perſolvit. *Ità pereunt heîc loci, & pereant ubivis terrarum ubivis gentium neceſſe eſt, qvi fumis paſci à Pſeudo-Galenicis & Impoſtoribus qvàm curari à Clariſſimis & experientisſimis Chymiatris malunt.*

Teſtis XLII. Aſthmatis.

Nobilis & Conſultiſſimus Dominus Martinus Milagius U. J. Doctor filiolum annuum gravi Aſthmate implicitum mihi commiſit curandum. Huic ordinato ex rebus detergentibus, qveis hieræ picræ ſcrupulos, & croci metallici granula aliqvot adjeceram, unico atq; altero clyſtere, ſolô ſulphuris lacte, aniſiq; olei guttulis nonnullis, cum ſyrupi violati portione debitâ in linctum coagmentatis, intra pauculos dies citò tutò & jucundè Aſthma aperui, parentiſq; nobilis favorem eo ipſo mihi demerui. *Nec fas ſit exhibere adultis, qvæ vel embryonibus qvadrant, remedia?*

Teſtis XLIII. Aſthmatis itidem.

Textor qvidam Wegelebienſis aſthmate faſtidio-

diosissimo vexatus, antasthmaticis meis restitutus & ipse est pauculorum spacio dierum, qvi aliqvot annis eidem fuerat obnoxius. Qvo successu adeò prompto permotus, Affini Molitori, testi hujus catalogi XVIII. auctor fuit, ut eodem, qvo alter sanitatem plenariam acceperat, momento me conveniret, eandemq; reportaret. *Ex incurabilium Galenicorum numero asthmata esse nemo nescire potest, nisi qvi planè hospes in Galeniâ est: E curabilibus verò Chymiatrorum tum hæc esse, tum alia Galenicis intacta, vel cæcus videat.*

Testis XLIV. Asthmatis itidem.

Petrus ab Osen pagi Meinsholtzensis prope Eimbecam incola, filium septennem (anni sunt benè multi) ad me Eimbecam deduxit à tribus vel qvatuor annis ita asthmaticum, ut nunqvam *totidem annis* supinus dormire nec interdiu neq; noctu, sed vix sellâ ad id fabricatâ compositus, absq; periculo suffocationis vel horulam unicam atq; alteram indormiscere posset, atrocitatem mali uberrimis lachrymis mihi enarrans, & remedium pro filio, qvi interdiu mendicando victum sibi comparabat, flebiliter & propter Christum exposcens. Parui precibus boni & paupertimi mercenarij, qvi vix elapsò octiduo desperatissi-

tissimum filium, Dei meiq; beneficiô sanatum vidit integerrimè absq; ullâ hucusq; recidivâ; cui omnes (ut videbatur) medici alij ne levamen qvidem attulissent. *Asthmata exposcunt non decocta raparum, sed Sulphur & Arum.*

Testis XLV. Asthmatis itidem.

Septuagenariam qvandam, Nobilissimi Georgij à Dassel in Hoppensen primùm, post sororis meæ, Præfecti Steinij tunc uxoris, nunc viduæ, villicam bis trium vel qvatuor annorum intercapedine à crudissimo itidem liberavi, Deo benedicente, asthmate, qvæ non minus ac præcedens Orthopnöeam æmulabatur, noctu, in resurgeret, strangulantem, idq; eodem meo, (non pharmacopœorum) Loch sano & experto; qvæ vetula aliqvot pòst annis sine ullo thoracis affectu naturæ justa persolvit. *Crepet Invidia qvoties Ego simplicissimis remedijs citô, tutò & jucundè curans, errores redarguo, disputantes rideo; Natura gaudet simplicibus.*

Testis XLVI. Dolorum vagorum Scorbuticorum.

Conqvestus apud me de affectu uxoris Scrinarius Mega-Qvenslietinus, qvo spinam dorsi

totam partesq; abdominis adeò lancinari, & vagis torqveri doloribus dicebat, ut singulis qvasi momentis mulieris creberrimè ob atrocissimos dolores animo linqventis exspiratui metueret, remedium mali cum lachymis exposcens, accepit salium aperientium antiscorbuticorum drachmas nonnullas, cum panaceæ binis dosibus, & intrà octiduum curatam exinde conjugem lætus renunciavit, gratumq; se præstitit pauperculus ille. *Novem autem illi ubi?*

Testis XLVII. Catarrhi Scorbutici.

Dominus Johannes Ristempadius Advocatus, Halberst. vir octuagerarius, catarrho, qvi Scorbutici qvicqvam videbatur resipere, dentes & maxillas gulamq; adeò occupante, ut ne micam qvidem cibi solidioris præ dentium omnium vacillatione mandere, sed pultibus & jusculis contentus vivere necessum haberet, consilium à me, dum Suos Suorumq; clientium libellos (mori postmodum paratissimus) in ordinem redigeret, petijt, & ex Dei misericordiâ, meâq; opellâ obtinuit, ut paucularum spacio dieculárum non tantùm curatum, sed &, qvantum fert ætas ista, alacrem à binis annis hucusq; se senserit. *Tantam vim indidit Deus Minerali Balsamo, ut balsamum cujusvis viventis augmentare, mortisq; fal-*

cem, si non atterere omninò, obtundere saltem aliqvandiù valeat.

Testis XLVIII. Guttæ rosaceæ.

Domino Michaëli Elemanno, Reipublicæ Halberstadensis Archigrammatéo causarumq; patrono, amico meo veteri & compatri honorando, qvi faciem ostendebat guttâ rosaceâ in cordo, corpore plethorico ab ineunte ferè ætate deturpatam, solo meo Cosmetico nitidam eandem & concolorem reddidi, virumq; gratum, officijq; memorem hucusq; expertus exinde sum. *Hepar accusat & abdita qvævis, qvi, qvæ in propatulo sunt, tollere non didicit.*

Testis XLIX. Cruditatum.

Idem Dominus Elemannus cruditatibus circa culinam microcosmicam refertus ex crebris commessationibus, qvibus nolentes-volentes adstringuntur isti officio præfecti, collectis, purgariq; postulans, accepit Panaceæ meæ grana XII. unde eliminata saburra simul & semel est, ut binis annis proximis non semel adsereret, *Preciosiorem rem Panaceam istam esse, qvam ut ullâ re æstimari, nedum precio redimi queat.*

 Testis

Testis L. Vertiginis tenebricosæ.

Idem Dominus Elemannus cum primo vere in templo sacris intentus tantâ corriperetur & subitaneâ Scotomiâ, ut vix domum se repetijsse sine offendiculo diceret, soli phlebotomiâ copiosiore ab imminentibus malis gravissimis per me post Deum servatus est. *Venæsectionis usum multi crepant, pauci nôrunt: Interim patitur aut moritur justus, & nemo percipit corde.*

Testis LI. Hypochondriaci affectus

Consultissimus Dominus Daniel Leporinus, opt: doctissimusq; vir, frustrà sæpissimè aliorum, meam verò opellam non semel magno se expertum in affectu hypochondriaco splenetico cum juvamine testab tur, sat scio unicuiq;, & qvâ dexteritate nodum illum suum Gordium (ita scribens ad me eundem vocat, mehercle admodùm significanter & facetè) cum graviter ex eodem constrictus decumberet, ceu Delphico qvodam gladio inciderim & solverim, humaniter edocebit. *Medicum opera, nugatorem ostendit garrulitas.*

Testis

Teſtis LII. Hyſtericorum ſymptomatum,

Ejuſdem Domini Leporini uxor, plethorica mulier & bilioſa, ad omnem ſangvinis effervеſcentiam, ex qvavis causâ facilimè concitatam, Epilepticis convulſionibus non raró, graviditatis præſertim tempore, obnoxia; venæſectione, qvæ ex remedijs pharmaceuticis pejus ſolito habebat, egregiè adjuta eſt, uſqveadeò, ut me qvoq; inconſulto idem attentare auxilij octavo geſtationis menſe, ingruentemq; inhibere paroxyſmum non dubitârat, qvâ tamen temeritate, licet infantem pòſt pareret vegetum & grandiuſculum, ultraq; annum egregiè ſanum & turgidulum. *Facilè mihi invidiam & calumniam conflare apud nonnullos potuiſſet, qvi figmenta Pſeudo-Galenica artis qvicqvam continere putant. Verum ad populum phaleras! Judicio opus & experientiâ creberrima eſt: qveis carent pleriq;, qvi Paganorum ſophiſtica commenta pro oraculis infallibilibus obtrudere alijs, ridiculaq; eorundem ſomnia pro ſanctis adorare ipſi reliqviis non erubeſcunt.*

Teſtis LIII. Febris malignæ.

Dominus Nicolaus Probſt Not. publ. ex febre malignâ ſomno vacuus continuòq; deli-

rans, accepit sub noctis horam Laudani opiati Mynsichtiani grana VI. & de die aliqvando Antimonij diaphoretici ʒ 1. Potus erat qvivis liqvor obvius, qvem delirio præpeditus cerevisiam putabat triticeam, (Broihanam vocant) spiritu Vitrioli contemperatus: Unde intra mensis spacium convaluit, qvem omnes morti adjudicabant, & Ego-ipsus ob Scorbuti intermixta seminaria mihi diffidens, prognosticis ferè reliqvissem. *Sed impiam illam Paganorum Dictaturam exequantur, queis visum est: Ego cum Fernelio meo viro Christiano, Christianissimiq; Regis Archiatro, proximo meo Christiano vel anceps adhibere remedium mallem, qvàm omninò nullum.*

Testis LIV. Febris itidem malignæ.

Ejusdem Probstij uxor eodem tempore unà cum marito decumbens, strenuèq; simul delirans, ijsdem remedijs restituta intra octiduum, ni fallor, est, ab eo tempore sana & vegeta. *Qui Receptarum plaustris onerant miseros langventes, sine dubio suffocassent utrumq;. Ego pauculis sed expertis uti, proximoq; egeno parcere, laus Deo, didici.*

Testis

Testis LV. Febris itidem malignæ.

Ejusdem Probstij cognatus qvîdam 15. annorum adolescens, simul & semel eâdem cum suo hero contignatione malignè detentus, accepit vomitorium antimoniatum, toto post decubitus tempore, qvod pauculorum fuit dierum, aqva fontis nitratâ cumq; liqviritiæ succo dulcoratâ usus, bellè & citò convaluit. *Non in multitudine bonitas, sed in bonitate multitudo.*

Testis LVI. Ejusdem febris malignæ.

Ijsdem, qvo adolescens, remedijs eluctata eodem malo est ancilla nescio an agnata Domini Nicolai Probstij, eodem qvo contubernales modo dicti ægrotans momentô, qvæ prima omnium lectum reliqvit, reliqvasq; charitatis opera serviendo exhibuit. *Quæ semper aut plerumq; talis, medicina vocanda ex asse est.*

Testis LVII. Cruditatum.

Dominus Sixtus Axthelmi Vicarius, affinis & vicinus meus, cruditatibus scatebat ex inordinatâ diæta, in corpore scorbutico ab aliqvo tem-

pore coacervatis, cachexiam & Icterum minitantibus: Qvi Panaceæ aliqvot granula degluti-ens, morbum funditùs (loqvor cum paracelso) expuit: ab eo tempore negotijs qvibusvis sat idoneus, nisi qvòd latitantis scorbuti malignitatem qvandoq; experiatur, qvem palliare, si vellet ipse, vellem & ipsum. *Sed vereor, ne procrastinando Libitinam sibi aliqvando acceleret. Sera enim in fundo curationis præservationis solet esse parsimonia.*

Testis LVIII. Vomitûs Scorbutici.

Idem meus affinis, cum nuper ex nescio qvo circa victum errore adeò per superiora & inferiora deijceret omnia minima - maxima ingestaq; omnia ut continuo isthoc octiduo præter mortem vix qvicqvam expectaret, viiceraq; omnia cum intestinis se egessisse jocosè affirmaret, acceptâ bis trium horarum interstitio Panaceâ, eodem die liberatus à desperato malo est: Seqventi diluculo interranea funditùs exinanita ptisanâ largè explens & gratias agens. *Strinxisset imperitus aliqvis & gulam fors elisisset bono viro: Ego curare citissimè quam lentè perdere affinem malui.*

Testis

Testis LIX.

Ejusdem Axthelmi uxor, cum post partum non satis expurgata animam propter summas præcordiorum angustias, lipothymias, & alia id genus jam agere videretur omnibus sibiq; ipsi, opportunè à me citòq; post Deum adjuta est. Binis enim vel ternis Anthysterici mei dosibus omnem ejecit undiqvaq; saburram, & altero post die incipiens consanescere inculpatum exegit puerperium; prognostica mulierculaum & malignorum qvorundam, ceu irrita, falsè deridens. *Specifica benè agnita aliqvando id præstant, qvod omnis vix efficit in unum congregata efficaciaq; quorundam Rationalitas.*

Testis LX. Verminationum.

Ejusdem Axthelmi filiolus primogenitus Christophorus, triennis ferè tunc temporis puer, qvadratulus, rotundulus, lepidulus, frustrà multoties ante in verminationis negotio, sennâ, rhabarbaro, corallina, & id genus alijs Pseudiatrorum qvorundam extremis arietibus impugnatus, meæ tandem curæ traditus est. Huic itaq;, qvod ad manus statim non esset Panacea (aliqvot enim libras ejusdem, cujus dosis aliqvot saltim granorum est, insumere qvotannis soleo, ab-

ſumptamq; præparationis tædio negotiorúmq; urgentiâ non raro negligo, divertens interea temporis apud Syrupiſtas) tale qvid ex mente experientiſſimi Rulandi Medici Cæſarei concinnari jubeo: ℞. Syrupi diaſereos Andernaci unc. unam cum dimid. Spec. diaturbith cum Rhabarb. drachm. dimid: Extract. Eſulæ (illud per ſpiritum vini ex radicibus ut plurimum exoletis conficitur à pharmacopœi noſtri miniſtris, uſqveadeò, ut & omni operatione ut plurimum careat) in aqq; florum perſicorum & hyperic ſ. q. diſſoluti ſcrupulum; Mercurij dulcificati grana qvindecim. F. potiuncula, ſignetur Tranck vff einmal. Dici non poteſt qvám neqviſſimè traduxerint terni Calumniatores, miſericordiâ ac reſponſo digniores iſtud medicamenti toto hoc Epiſcopatu & circumvicinis Diſtrictibus, mentientes Academiæ Jenenſis & Lipſienſis Medicam Cenſuram, ut exitioſum & incompetens puerulo, iſthuc damnaſſe: Qva de re videbimus in libelli cujuſdam famoſi à Zythepsâ qvodam Sereniſſimo Regimini Svecico obtruſi Examine, à Cl: qvodam viro propediem, uti ſcribit, transmittendo. Interim teſtabuntur parentes, juſſos à me relinqvere medicamentum, ſi ſex groſſos excurreret precium, & à me expectare altero pòſt die gratis, qvod dimidio Imperiali divendere voluiſſet, ſi conſenſiſſem, qvidam Siciliæ: teſtabuntur itidem, toties pòſt idem accepiſſe medicamenti à me duplicatâ ferè doſi necqvicqvam

verò

verò inde ſenſiſſe nocumenti, ſed ſemper eodem aut altero poſt die reſtitutum puerulum, vegetum exinde & alacrem adhuc hodie. *Quid non audet effrons Calumnia?*

Teſtis LXI. Verminationis itidem.

Idem Chriſtophorulus cum nuper ſolitis ſymptomatibus, ſiti cumprimis, fluxu torminibuſq; ventris, aliiſq; id genus denuò correptus panaceam meam acciperet, mitigata eodem; altero poſt die evanuêre omnia. *Citò qui curat non-ne Medicus: ſemper qui garrit, anne pſittacus eſt?*

Teſtis LXII Variolarum.

Hujus Sororcula Eliſabetha nondum bimula ex variolis latitantibus ſat malè habens, ſimpliciſſimo qvodam liqvore Chymiatrico intra biduum eò deducta eſt, præmiſſis clyſteribus meis ſolitis, ut bidui ſpacio emergerent puſtulæ malignæ, & octiduano ſpacio ex voto judicaretur infantula. *Criſin haud impedit, naturam oppreſſam opportunè qui ſublevat vel ipſâ inſtante Criſi.*

Teſtis LXIII. Tabis.

Domini Michaëlis Elemanni, Reipub. Halberſta-

berſtadenſis Archigrammatei, cauſarumq; patroni, amici mei veteris & compatris honorandi filiolus primogenitus ſimulus, ex benè habito puerulo æſtate proximâ totus in tabem verſus uſq; adeò, ut & mihi, nedum Parentibus & conſangvineis compaſſionis commoveret affectum parentibus verò & alijs beneficij ſuſpicionem. Itum ad me eſt poſt aliorum operam fruſtraneam; cui ob verminationis ſuſpicionem Aqvam Benedictam qvinqvies porrexi: Unde mortuus haud eſt (uti verò de remedijs Chymiatricis nugantur invidi) ſed vivit, ex ſceletô redditus corpulentus & alacer, qvamvis nil qvicqvam excerneret effatu dignum, puerulus, qvi vel omnem Timonem jam exhilaret, & cum Gratijs certet ipſiſſimis. *Omni ætati, omni temperamento conveniunt arcana Chymica quicquid delirent imperiti.*

Teſtis LXIII. Tabis itidem

Similem caſum vidi ante ſeſqviannum in pucro 5. annorum à matre pauperculâ ad me deducto, qvi eadem uſus aqvâ bis, bellè convaluit, & virium carniſq; vigorem reſumere paulò pòſt viſus eſt ab omnibus. *Remedia vocanda non qvæ nunqvam aut tardiſſimè: Sed qvæ citò, tutò & jucundè, qvod ſperatur & intenditur, obtinent.*

Teſtis LXIV. Dyſenteriæ Epidemiæ.

Dominus Joannes Fricken Præfectus Germerſchle-

merſchlebienſis affinis & compater meus, pro filiolâ 18 menſium puella remedium dyſenteriæ, à militibus ex Franconiâ nuper iſthùc allatæ, datis ex Germerſchlebio ad me literis petijt & impetravit. Propinatâ enim bis Panaceâ, eodem die reſtitit fluxus ſangvinolentus & dolor, & qvæ ne micam qvidem aſſumebat cibi, aut aſſumptum regerebat, repetito Panaceæ uſu eundem poſt retinuit, & valde appetivit, uſq; adeò ut referente parente ſummô diluculô eundem poſcat, parenteſq; beet lepidulâ iſtâ importunitate, qvi primo Panaceæ intuitu virus eidem una cum Naſutulis ineſſe credidiſſent. *Carpimus plerumq; aut metuimus, quæ non capimus.*

Teſtis LXV. Cæcitatis.

Joannis Wölberi civis & mercatoris noſtri filiolus ſexennis, à milite tranſeunte & ebrio perticâ intrà oculum adeò importunè percuſſus, ut è veſtigio omnem lucis uſuram amitteret, oculo exteriùs ex contuſione pauxillum cum livore rubeſcente; à patre deſperante eapropter & intimè ſeſe angente ad me deductus, intrà biduum ex aqvâ meâ Ophthalmicâ Saturnino oleo remixtâ viſum recuperavit perfectiſſimè. *Maxima ♄ & Antimonii circa contuſiones & vulnera, oculorum cumprimis, eſt efficacia.*

Teſtis

Teſtis LXVII. Scirrhi dolorifici.

Joan: Hautho Vice-Capitanei apud Gallos Pariſinos inante, nunc civis noſtri, lingvæ Gallicæ periti, trium ſeptimanarum Infantulus, tumorem geſtabat circà deltoidem muſculum duriſſimum & dolorificum adeò, ut brachium ne micam qvidem attolleret. Huic ſolo meo Epithemate ſecreto dolorem qvidem aliqvot dierum ſpacio; tumorem verò pauco poſt tempore eatenùs diſcuſſi, ut ſine moleſtia nunc vivens parentem eâ de causâ tunc anxium non raró exhilaret. *Infantulis recens natis Platerus vix credat competere metallica, quod in univerſum ea ex agro proſcribat Medico Centuria poſthuma quaſt. 90. Mirum verò judicioſiſſimum inſigniterq́; de praxi Medica meritum virum adeò pueriliter circà metallica nugari, & Chymiatris riſum excutere Sardonium!*

Teſtis LXVIII. Tineæ, Scabiei & Apoſtematis.

Daniel Budenſigius privignus meus, octennis Puer, ſcabie ferâ per totum Tineaq; circum caput ſcatebat, ſub axilla verò bubonem ovi columbini primùm poſt gallinacei magnitudine protuberantem portabat, durum admodùm & doloris haud expertem. Topicorum nil qvicqvam adhibui,

ſed Antimonium præparatum ad grana VIII. X. & XII. ſex diebus ſeſe inſeqventibus manè ex cerevitia calidâ eidem propinavi: Unde primis diebus bis vomuit ſine ullâ moleſtiâ, & bubonem oſtendit ad ſtuporem propulſum matureſcentemq; ſeqventibus binis ſemel: Aſt ultimis nil qvicqvam egerens, ſed madore perfuſus ſcabiem ſquamarum adinſtar exuit, Tineamq; Lixivio Sulphurato bis deterſam: Bubonem intereà ſponte diſruptum pus laudabile copioſumq; evomentem Emplaſtro Stictico contegens, omnibus iſtis decendij ſpacio integerrimè ſe expedivit, & athleticè binis nunc annis valet & vivit, *Qvid contrà afferti Stibio-maſtigæ inſani? Qvid muſſitatis in pice muſculi?*

Teſtis LXVIX. Cruditatum.

Hujus Soror Anna privigna itidem mea XII. annorum puella, juncea admodum, parum gibboſa, ſemperq; ferè valetudinaria, toties anorexia, torminibus ventris, & neſcio qvibus non malis obnoxia, toties accepit & accipit Antimonium à me præparatum, unde pauxillum expuens feroſitatum, poſt aliqvot horas ſemper & ubiq; convaleſcit ſine Stoicorum ceremonijs. Qvæ ſemper aut plerumq; eodem modo accidit ſanatio, Artem & artificem arguit infallibiliter: Unde concludere ad pſeudiatriam promptum eſt cuivis.

Teſtis

Testis LXIX. Hystericorum symptomatum:

Horum privignorum meorum mater vidua qvondam Budensigiana, uxor nunc mea, hystericis affectibus ex impuritate viscerum, utericum primis originem ducentibus, gestationis potissimum tempore valdè lacessita, multoties à me Antimonio & Elleboro (consiliginis qvadam specie hîc loci utimur penes nos nascente) expurgata est, sine ullo sanitatis decremento sed incremento, sine ullo vel minimo incommodo, usq; adeò, ut octavo jam secundæ ex secundo connubio impraegnationis mense nunqvam qvicqvam sentiat pristinorum malorum, sed qvæ ex utero ante duodecim annos partus difficultate, ut videtur, dislocato malè habere, si non ex cacochymia, poterat, inculpatâ, laus Deo, jam fruatur valetudine & gemellos pariat masculos. *Nullum veneaum, (nedum Hippocratis Elleborum, Matthioliv è Antimonium) adeò deleterium est, qvod Chymicâ industriâ divinum non evadat Alexipharmacon! Pignus certa, qvisquis es, Nasutule Pseudo-Galenice!*

Testis LXX. Lienis & mensium obstruct:

Soror mea Sophia Margaretha, Justi von der Hoye patritij qvondam & Senatoris Mindani vidua, hypochondriaca splenetica, cum Scorbuti

semij

seminariis mensiumq; obstructione ante annum & qvod excurrit, graviter molestata remedium ex me flagitavit. Primas itaq; viás Antimonio meo, dumexpurgare, pro more aggredior, à Sorore rideor unà cum medicamento meo nullius, uti putabat illa, activitatis, qvod sex horarum spacio ne borborygmon qvidem, qvæ ex pharmacopolisticis ipso assumptionis momento aliàs tormina satis molesta senserat, perciperet. Ne caneret, règero, ante victoriam epinicion: Et ecce! Post prandium tanta operationis vi serositates prorumpunt spumosæ biliosæq;, ut de superpurgatione sistendâ me lacesseret. Nolui tamen qvandiù de viribus constaret, qvas ubi labascere aliqvantillùm ex signis animadverti, excretiones oculi qvasi nictu, stupentibus qvotqvot aderant omnibus, cum Deo compescui. Ex eo tempore illa nunqvam, (qvæ instantibus menstruis purgationibus ferè semper) malè habuit hucusq;. *Qvis Medicum æstimet eum, qvi solvere & coagulare, (qvæ propria Operatricis medicinæ officia sunt) pro lubitu nesciat?*

Testis LXXII. Cachexiæ Scorbuticæ.

Vidua qvædam, vicina mea, Pastoris Wetstetensis soror, de angustiis circà præcordia, lipothimiis crebris, astrictâ alvo, obstructis mensibus,

tumore pedum cachectico & alijs nonnullis conqvesta, decumbere cum febre acutâ occepit ad dies plusculos. Huic Catholicum meum deobstruens & Misturam antiscorbuticam porrigi aliqvoties; alvum verò reseratam Clystere meo admirabili bis vel ter sollicitari per idoneos curavi, unde solutis obstructionibus maliq; minerâ cum impetu per loca decliviora decurrente, eodem, qvo morituram se putabat, octiduo convaluit sine Recipe, sine Decipe & sine omni Misce. *Facilis est curatio morbi vel desperatissimi, si judicio polleas, & medicamentis te instruas morbo idoneis.*

Testis LXXIII. Febris Scorbuticæ.

Consulis Meschmanni fautoris & compatris mei colendi uxor, ejusdem ferè, (præterqvam qvòd paulò illâ ipsâ habitior,) cum modò dictâ viduâ temperamenti, iisdemq; qvasi affectibus præpedita, unà cum febre graviter decumbens, accepit anti-Tartareos pulvisculos, unà cum Leonis sudore; & ante restituta sibi exinde, laus Deo, est, qvàm dimidium Luna orbem conficeret, licet, ut ex signis colligere erat, impuritas occuparet abdomen undiqvaq;. *Movere Camarinam cuius vis est, citò tutò & jucundè mederi solius Chymiatri.*

Testis LXXIV. Obstruct. mensium & tabis.

Puerperæ cuidam pauperculæ à Magdebur-

gen-

genſium exſulum genere, militis uxori, boni anteà habitus, ex neſcio qvo terrore reſtitare menſes ab aliqvanto tempore occœperunt, & lac profluere primò ſeroſum, mòx omninò deficere, tabeſq; inſeqvi aridiſſima. Rogatus à Domini Conſulis Conjuge modò dictâ, miſeræ & ferè deſperanti mulierculæ pro poſſe ut mederer: Aperientibus uterum, detergentibus, ſimulq; per epicraſin educentibus negotium aggredior, & placuit divinæ bonitati, ut intrà menſem ſolitum vigorem recuperaret genitrix illa novella, infantemq; cum gaudio uberi admoveret. *Oſtentatio minimè, ſed ſpecimèn Artis commendat Artificem.*

Teſtis LXXV. Hyſtericorum affectuum.

Nobiliſſima qvædam è proſapiâ Cropffianâ Dn. Henrici Werneken in Grüningen & Voigtsdahlen &c: Conjux, anorexiæ, menſium obſtructioni, ſuffocationi ab utero alijſq; id genus malis non rarò obnoxia, Compoſitionem anthyſtericam à Nobiliſſimo Mynſichto Chymiatro feliciſſimo, diverſorumq; Germaniæ Principum Archiatro &c. uſq; adeò decantatam, me præſcribente deguſtavit aliqvoties: qvâ ipſa ità adjuta eſt, ut referente Conſult. Dn. Leporino parùm ab eo tempore aut nil qvicqvam ſenſerit incommodi, licet à me, habito ad ſubjecti teneritudinem reſpectu, univerſalia temperamento æqvè ac Affectui debita,

bita, omnino fuerint neglecta. *Methodum in loco negligere, maximum quandoq; ad Veritatem & valetudinem recuperandam compendium.*

Testis LXXVI, Affectuum consimilium.

Pari ferè modo, paribusq; medicaminibus tractata Anna Genoveta Könneken / Dn. Henningi Fincken in Schlanstet &c. vidua, heroica itidem, ut modò dicta, mulier (qvamvis huic sangvineæ magis venam secari jusserim) qvæ paulò post, qvantum ex Dn. Joanne Huddæo ejusdem Affine intellexi, & literæ ejusdem ad me transmissæ ostendunt, sana vixit & tot incommodorum expers hucusq;. *Uterinis affectibus qvi feliciter citoq; mederi scit, Medicum se profiteri bono jure potest.*

Testis LXXVII. Hypochondriaci affectus.

Dorothea Bartels Dn. M. Jonæ Sigfridi ad D. Joannis Ecclesiastis uxor, Cognata mea, de lassitudine spontaneâ, imbecillitate & lipothymiijs per vices subrepentibus, & periculum eidem minitantibus, hypochondrij sinistri distensione, ructibus, flatibus, gingivarum pruritu uligino-

ginoſo, alijſq; id genus ad annos complures detenta: Electuario ex aperientibus antiſcorbuticis, doſi paullò ac apud Pſeud-Iatros fieri aſſolet, accuratiori concinnato (unde morituram Cognatam cornicabantur, neſcio qvi homunculi) perbellè paulò poſt convaluit, & faſtidiorũ ſolitorũ tertium jam annum immemor ad corvos cornicatores jam dudum ablegavit. *Nec diſtet dù dià pasòn ab Uromantâ Chymiatros, à præſtigiatore expertus Medicus?*

Teſtis LXXVIII. Cephalalgiæ continuæ, Vomitus &c.

Hujus Cognatæ meæ Ancilla, tunc mea, Magdalena Brunſvigia, annoſa aliqvantillùm puella, ſed induſtria & ſedula, continuis ad menſes complures capitis doloribus, crebro aſſumptorum vomitu, ſcabie ſiccâ per totum alijſq; id genus, poſt neſcio qvem morbum in Franconiâ olim exanthlatum, relictis, accepit diebus continuis aliqvot poſt celebratam phlebotomian, &, *ſi benè memini, ſepties vel octies* ♁ *meum*, unde primis vicibus nil qvicqvam; poſtremis ſemel vel bis egeſſit: accepit itidem poſt univerſalia iſta pilulas meas-Cephalicas, qvibus ☿ indideram dulcificatum, unde ſpacio trium ſeptimanarum à faſtidioſiſſimo capitis dolore & ſcabie moleſtiſſimâ

reliqvisq; omnibus, integrè persanata, pristinum Dominum Islebij Monetarium cum gaudio revisit, sedula herorum suorum Oeconoma. *Chymiatrorum & nullius lingva satis celebrare, nullius ingenium sat capere potest:* Nisi omnem superet Antiqvorum Recentiorumq; Botano-Logiatrorum variam ut plurimùm industriam vel solum & diversimodè præparatum, dispeream! *Confer ex Scholtzianis Epist. 42.*

Testis LXXIX. Choleræ morbi.

Opilionis ad S. Spiritum Uxor juvencula adhuc, vomitu continuo ad dies plusculos ferè omnia exinaniverat interanea, animamq; jam agens, ex Panaceæ meæ binis dosibus ad se redijt in instanti qvasi, causaq; fuit ut paulò post Langensteinensis opilio idem in alio affectu acciperet à me spacio triduano beneficij. *Nulla est sanguinis humorumve ebullitio adeò effera, qvam non restingvat dicto citiùs divina illa PANACEA.*

Testis LXXX. Paralysis.

Domini Valentini Wirtten Scabini primum, nunc Camerarij, fautoris & Compatris mei parentis

rentis loco honorandi Uxor, qvinqvagenaria ferè, ab annis aliqvot proximis hepatica, cachectica, & ad qvæ mala nescio alia non disposita, terrore, (non satis memoriâ recolo) an irâ perculsa, paralysin utriusq; cruris omnimodam experta, Panaceam assumens semel meam, altero post die incedere, tertio verò inoffenso pede ambulare (licet qvid impossibilis moliri me judicarent nonnulli unà cum illa ipsa) didicit. *Causâ affectus benè cognitâ, facilis est per medicamina convenientia eiusdem curatio.*

Testis LXXXI. Ejusdem paralysis.

Eadem mea Commater paullò post recidivam passa, simulq; revomens ingesta unà cum medicamentis alijs, acceptâ Panacea, Arcanoq; meo aperitivo aliqvoties assumpto actutùm convaluit. *Ubi rerum testimonia adsunt, qvid opus est verbis?*

Testis LXXXII. Dysuriæ, pleuritidis.

Eadem Domini Camerarij Uxor, dum ille nuper publicis operaretur, tantâ & omnimodâ Urinæ Suppressione, correpta est, ut morituram se putans è Senatu freqventissimo maritum accerseret, accedente unà pleuritide alterutrius lateris dolorificâ. Hanc & illam fotu

adjuvit juniperino, utramq; Diaphoretico & Diuretico astrali meo simul & semel ad Tartara Tartari interventu ablegavit, & bellè habuit postridiè. *Hoccine verò est citò, tutò, & jucundè curare, & se præstare Medicum?*

Testis LXXXIII. Cruditatum.

Dominus Camerarius Valentinus Wirtten/ Hujus, cujus modò memini, Matronæ maritus, & Compater meus, plus oculis meis mihi charus, cum ante biennium cruditatibus scateret unà cum febriculæ ptodromis, citoq; curari postulans ☿ vi æ (qvem & ante biennium me præscribente cum fructu degustaverat) appeteret, ex qvatuor ejusdem granis ita adjutus eo ipso die est, ut isthuc medicaminis non satis commendare se putet bonis omnibus, nî subinde ijsdem illud inculcet & indesinenter. *Mille adducam pro vitæ ☿ testes alibi: hic mihi sufficiat ex optimis optimus, optimis cognitissimus omnibus.*

Testis LXXXIV. Colicæ flatulentæ.

Reverendus admodùm & Nobilissimus Dominus Christophorus à Wulffen, Ecclesiæ ad B. M. V. Decanus, vir septuagenarius, qvi aliqvot

qvot annis continuis cruditatibus, anorexiâ, cardialgiâ, flatibus, ructibus, vertigine, cumprimis verò Colicâ laboraverat, binis post prandium ferè horis eundem propter intervalla prehendente, post jugem usum pilularum Aloëticarum (Luchtenianas vocant heîc loci) nil qvicqvam proficiens, sed exoleta Pharmacopolij crepundia seriò accusans, & Apoplexiam, qvâ extinctos progenitores dicebat, metuens, experiri & ipse meas voluit Panaceas. Fecisset id, uti ajebat, pridem & ab initio adventus mei, nî famâ absterritus sinistrè de medicaminibus meis sentientium, maligneq; eadem cavillantium, inducias dare proposito coactus fuisset. Pactus tandem cum noluntate suâ - volente me accersiri, arietesq; meos morbo opponi suo postulat, qvibus degustatis ita ad me rescribit: Pulvisculum Dn. D. ex præscripto assumpsi, nihil inde omninò incommodi, commodi plurimùm percepi: Operatio blanda, unico vomitu, qvinq; secessibus euphorian reliqvit, sine virium imminutione, sine ullâ nauseâ. Vellem autem drasticoteron imposterùm, qvod & ipsum pari cum commodo me assumpturum, Deo benedicente, confido, cum ex hoc ipso nil qvicqvam, ut dixi, imò ne tantillùm qvidem senserim incommodi: Ita habet autographum tanti tamq; Nobilissimi Testis, qvod in mea adhuc dùm est manú, sub deto 10. Julij Anno 1634. Croco itaq; metallico (urgente nimirum viro

 admo-

admodùm Reverendo, qvi omnia mea, ex malevolorum opinione venena, se glutiturum, siqvidem usus esset, subridendo promittebat) subjungo ☿ meum Vitæ Croco intermixtum metallico; qvi tale tulit elogium, sub dato 13. Jul. ejusdem anni: Pulvisculum iteratò adsumpsi: nulla inde nausea, vomitus nullus, secessus modici qvaterni; paroxysmus hodie præter opinionem tardiùs recurrens à pristinâ feritate multùm remisit, paratus, qvæ Dn. D. dat consilia, eadem exeqvi, siqvidem per vires adhucdùm, laus Deo, me posse scio optimè &c. Ita habet Originale Rev. admodum Decani: *Cui contradicat, qui bonòs viros mendacij arguere, & vehementia Venenositatisq; ♁ & ☿ nequiter accusare non erubescit.*

Testis LXXXV Herniæ.

Reverendus qvidam Dominus septuagenarius itidem, optimus, doctissimus, pientissimus Vir, ex nimia fòrs spiritus contentione crebris concionibus adstrictioreq; alvo incidit in Bubonocelem, qvam cum more Fioravantéo redintegrare (licet eandem post, amicorum suasu, solis committere ligaturis eligeret) studeo, ad dies pluscuIos Extractum Ellebori, (consiligine hîc nascente me uti, suprà monui) alijs remixtum porrigo, unde primis diebus nil qvicqvam secutum operationis: (dixisset pseudiatros, omnia

inter-

interanea unà cum anima egesturum exinde prudentissimum istum senem) Semel autem, post 6. assuptionis horas, imò post prandium ipsum, cum nihil minus spe:aret vir doctissimus, praecedente nimirum vertigine levicula, tantam egessit pituitæ bilisq; copiam, ut mirum si intrà libras decem subsisteret: neq; tamen mortuus exinde est, sed vivit, laus Servatori nostro, qvantum fert ætas ista, sanus & incolumis: Licet ne qvidem biennio ante credidisset civitas nostra, à gravi Apoplexiâ unde eundem, Deo me gubernante, citissimè retraxi, venæsectionibus cum primis, se emersurum. *Verùm heus tu, qvisqvis es, imperite Nasutule*: Ple hora, tàm ea, qvæ ad vasa, qvam qvæ ad vires est, phlebotomian; Cacochymia, tàm ea qvæ vasa, qvàm qvæ viscera immoderatiùs, mesenterium cumprimis, particulasq; sensus expertes occupat, si minetur interitum, pharmacon desiderat? Sed contra indicant, ais, ætas, vires &c.? Audi Hippocratem: Robustus senex &c. Audi Sennertum: Fieri potest ut septuagenarius faciliùs ferat venæsectionem & purgationem, qvàm qvi sexagesimum nondum attigit &c. *De Elleboro etiam atq; etiam cave, ne te redarguat totus ex Elleboro compositus Hippocrates.*

Testis LXVXVI. Ulcerum Scorbuticorum.

Nobilissimus & Strenuus qvidam Regiæ Sveco-

Svecorum Majest. Consiliarius & Legatus (cujus Excellens nomen data operâ subticeo) ulceribus in circuitu cubiti septem vel octo scorbuticis, lividis, parum humentibus, imò ferè siccis, callosis, rotundis, dysepuloticis, ab annis undecim ad qvemvis contactum sangvinem fundentibus exqvisitèq; dolentibus, ad desperationem ferè discruciatus, à præstantiss. Svecicarum Legionum, Hamburgensium, & qvibus non Medicis, Chirurgis qvinimò Regijs nil qvicqvam aut parùm adjutus, Ungvento & Emplastro meo balsamico, medio hyemis algore, sexq; spacio septimanarum, licet præter Antimonium & Tartari aliqvot drachmas nil qvicqvam assumeret medicaminis, cicatricem desperatis pessimiq; moris ulceribus, de qvibus jam dudùm conclamatum putabat esse, induci vidit. *Usqueadeône nobis persuadebitis Carnificum-Vicarij, non dari in Chirurgicis per ☿ omnia contemperantem PLUS ULTRA?*

Testis LXXXVII. Nothæ Pleuritidis.

Nobilissimus & Strenuus Svecicæ Legionis Major Sigismundus à Rtesegrin de Pleuritide, qvam notham & scorbuticam esse, ex signis (qvòd nec febris, nec tussis præterqvam sicca & per intervalla saltem adesset) colligere erat, jam dudum conqvestus, præter antiscorbuticos syrupos,

qvi-

qvibus Mifturam Andernacinam diebus continuis assumendam intermiſcueram, ne granulum qvidem pulmentorum Pſeud-Iatricorum degustans, integrè pauculis diebus, licet à militari diæta & commeſſationibus ſolitis non abſtineret, reſtitutus, præcautionis gratiâ bonam iſtius lagenulam ſecum abduxit, & gratum ſe præſtitit. *Putredines & obſtructiones Germanorum corporum qui debitè amoliri ſcit, Diætis excarnificare & Methodorum circunducere ambagibus Italico-Germanicis qvenqvam, vix animum inducit ſuum.*

Teſtis LXXXVIII. Gangrænæ.

Præfectus agri Crottorffini Heinricus Becker tibiam in parte excarni læſerat ad qvendam arboris truncum, malumq; negligens aliqvandiù vir plethoricus, accedente paulatim affluxu & exin dolore, Balneatori ſe commiſerat: qvi re qvaſi deſperatâ, tibiâq; á talo ad genu uſq; cum ſummis & intolerabilibus doloribus liveſcente me accerſiri ſuadet. Ægrè qvidem induxi virum ſeptuagenis, ni fallor, qvàm ſexagenis propiorem, venæſectionemq; ut ajebat, totâ ſuâ vitâ non expertum, eandem admitteret revulſivam, qvòd omnem renueret: Ego nihilominus inſtare, abitumq;, ni parêret, ſimulare. Conſentis

tan-

tandem in aliqvot Uncias: qvibus extractis, suprà genu liqvorem Saturninum per Splenia, Loco verò Affecto toti, expressionem florum hypericonis saturatissimam lixivio barbitonsoris decoqvendo elicitam, applico, Laudanumq; Opiatum ter unico eodemq; die porrigi ad grana qvatuor pro vice jubeo: Et ecce miraculum! Qvi pridie testari, postridie Testamentum eludere, & sine ferè bacillo incedere occepit. *Sphacelum, sat scio, procurassent Chirurgi-Carnifices & Barbitonsores profundis suis scarificationibus: Ego balsamum partis à putredine vindicare, humorumq; affluxum compescere, quàm vindemiatorem agere malui.*

Testis LXXXIX. Ophthalmiæ.

Dominus Joannes Grunovius Not Publ: Advocatus, & Dicasterij Provincialis Halberstadensis Procurator, varijs & sat difficilibus implicitus affectibus, qvi hujus loci non sunt, hypochondriacus prætereà, Scorbutoq; aliqvantillùm inclinans, habituq; Cacochymico-plethorico &c Ophthalmiâ nuper post crapulam prehensus adeò deformi, ut vix à suis ac familiarioribus, nedùm ab alijs agnosceretur, opem implorabat meam. Prescripserat eidem & confici curaverat nescio qvis Medicus-Insulsus ungventum ex tuthia & butyro

tyro

tyro insulso, qvod angulo repositum suo excepit à me imperata ejusdem lateris phlebotomia, Liqvorq; Saturninus per Splenia adhibitus, qveîs *tridui spacio ex voto restitutus insulsam insulsi hominis machinam sale condiit, & gratias medico vir bonus egit debitas.*

Testis XC. Tumorum Scirrhosorum.

Rustica qvædam paupercula in pago proximo Micro-Qvenstedensi habitans (cujus Maritus Senecio colum trahendo se suamq; sustentabat uxorem) Filificem ad me amandat suum, consilium petentem pro tumoribus schirrhosis, utrumq; ingven, non qvidem solitâ bubonum formâ, nec in glandulis ipsis, sed paulò elatiùs, figurâ & magnitudine ovi longiusculi, occupantibus. Destitutus medijs ad curam necessarijs misellus, propter Christum uxori ut subvenirem largissimè lachrymans me monet, simul addens, decumbere eandem appetitus expertem, febribusq; implicitam. Huic solaminis potiùs qvàm curationis ergò Panaceæ binas doses pro precio isto immarcescibili porrexi, qvarum prima primas vias expediendo appetitum restituit, febrem eliminavit, & insuper Tumores internè, ac si qvis unco visciditatem inde extraheret (adscribam relationem Rusticelli idiomate materno: Sie sagt/es hette jr gedaucht/als hette jemands mit einen Haken darin gekratzet vnd herum gesucht) tribus post assumptũ medicamentũ horis in-

tiam è

timè pervadendo, altero poſt die tumores rupit, qvi copreſſiſſimam (qvod mirum in Scirrhis, attactus ſaltem ratione talibus) profundentes purulentiam, ſolo meo Balſamo ulcerario mundati, ſunt alter vero eorum cicatricem brevi admiſit. Applicuit meo monitu medicamina ruſticellus maritus ſcirrborum alteri, qvi poſt annum me iterum reviſens renunciavit, tædio ſe victum applicationis, Balneatorem neſcio qvem adſciviſſe, qvi ſepoſitis meis balſamis, è theculâ ſuâ relictam alicubi fiſtulam inunxerit, mulieremq; Charontis cymbæ, conformi theculæ tonſoriæ inſtrumento, magiſtraliter incluſerit; Nolle ſe (ſimul addidit) ex theculâ tonſoriâ ungi unqvam, qvicqvid moliretur unco ſuo ſqalidus ille Charon.

Una ſalus cunctis, narthecia linqvere cautè!
Certa ſalus, nullam inde unqvam ſperare ſalutem!

Teſtis XCI. Collectionis apoſtematoſæ.

Sartoris Werſtetenſis Nicolai Schraderi puer 14. annorum, nomine Andreas, Opilionis filius, de pondere dextrum gravante hypchondrium ab annis proximis ſeptem, ſpiritumq; non rarò intercludente, anguſtiasq; præcordiorum, lipothymias, anorexiam & faſtid a alia multa cauſante,

Ićte-

Icterum minitante, totamq; Oeconomiam corporis à proximis annis ſeptem omninò qvaſi pervente conqverebatur, magnamq; ſpem ſanationis in meâ Panaceâ ſibi ajebat repoſitam, qvod Apoſtema (ita vocabat Affectum ſuum Adoleſcens) inde iri diſruptum certò ſciret certiùs, & eapropter eandem ut elargiret tantò me urgebat inſtantiùs. Parui monitis rationi conſentaneis, qvòd Panaceæ ineſſe vim eam, qvam ille ſibi exinde promittebat, ſcirem optimè: Nec fefellit utrumq; Eventus. Duodecim enim horarum ſpacio Apoſtema ſuum ſeptenne (qvod ſanè ex ipſius relatu & reverà apoſtema fuit: Purulentias enim meras ſangvini remixtas vomuiſſe ſe magnâ copiâ ſubmonuit) egeſſit, nec minimum hucuſq; ſentit incommodi priſtini Sartorculus meus, ſed Strenuum tantæ Panaceæ buccinatorem per vicus & compita agit; meq; Æſculapium jam depradicat omnibus, ſuiq; non rarò ad me remittit ſimiles, qvem ne Uromantæ honore dignatus fuiſſet inante. *Antimonium Centrum morbi (ſecundum Peletarium) fulguris inſtar petere, cauſamq; morbificam qvamcunq; ubicunq; tandem illa deliteſcat, funditùs extirpare*, Teſtis ante hunc proximus; Obſtructiones verò vel contumaciſſimas collectioneſq; apoſtematoſas ab eodem expeditiſſimè perrumpi, Sartorculus noſter fidem faciet Thomiſtis Aggegratoribus:

E Care-

Careat successibus opto,
Credendum qvisqvis Sensibus esse negat!

Testis XCII. Apostematis nervorum, Gliedwasser.

Ancillæ meæ Margarethæ mater septuagenaria ferè Vetula, Ulcera portaverat ab annis sexdecim cubitum sinistrum magno numero stipantia, qvorum aliqva certis temporibus ope Barbitonsorum consolidaverat, per intervalla tamen recrudescentia, aliqva fonticulorum ad instar aperta semper circumgestaverat, nulli unqvam cicatrici se submittentia. Accessit error; dum linteaminibus eluendis intenta brachium à sonino humero ad cubitum usq; sceleti instar siccissimum & eapropter debillimum nimis intorqvet; ulcus in ipsâ cubiti extremitate renovans, simulq; binos tendines extrudens, qvos temporis & Barbitonsoriæ-Chirurgiæ maleficio, unà cum Apostemate nervorum (Gliedwasser vocant Commotici) indesinenter exsudante: & propterea mulierculam ad tabem ipsissimam omnimodumq; virium exhaustum deducente, gangrænâ corruptos partim, partim lacero mihi obtrudebat, per Deum me sollicitans unà cum Josepho marito, dolori saltem, nullâ re aliâ hucusq; placabili, si reliqvis non licitum esset malis, ut mederer. Misertus pauperculæ curam tanti mali in me recipio, & spacio octiduano solo meo Balsamo vulnerario Emplastroq; divino

vino tantum proficio, ut malorum expers omnium istorum, cicatricem Ulcera paulô post induerent solidissimam, nec ab eo tempore, ut antea sæpissimè, recrudescerent unqvam. *Nervorum Apostema à Barbitonsoribus ut plurimùm, & putatitijs Chirurgis, ut & reliqva omnia circà Affectus externos ab ijsdem procurari symptomata, nemo ibit inficias*, nisi qvi summam Carnificum istorum ignorantiam, medicamentorumq; vulgatium incompetentiam redarguere, & Magistratum cordate eà de re amovere, nec vult nec potest: *Sed viderit uterq;, ut severissimam Dei vindictam, toties admonitus effugiat: Sanqvis enim humanus non æqvè impunè profunditur, ac vitulinus aut hædinus.*

Testis XCIII. Fracturæ cranij & collectionis sub eodem apostematosæ.

Andræas Helmhold Agricola & civis noster, homo macilentus, complexionis melancholicæ, vir bonus, sclopeti, qvod Musqvetam vocant, manubrio, ni fallor, in sinistrâ cranei parte à milite percussus, concidit vertiginosus, sangvinem per narem rejicit copiosè, & lipothimiâ dimidiâ ferè horæ parte, anteqvam ad se rediret, detentus, sibiq; tandem aliqvantillum restitutus, intrà urbem &

 domum

domum suam deducitur. Binos adscisc't Barbitonsores, Henricum senecionem, & Fridericum Pyrgopolinicem, qvi curationē mali largo hiatu spondentes, Mediciq; operam, qvâ opus in tantâ ipsorum sapientia haud esset, planè renuentes, tumefactæ genæ occlusoq; exinde oculo alterutro, nescio qvid Emplastri; collo verò olei viridiusculi adhibentes, parumq- sangvinis tertio post die extrahentes, tantum proficiunt, ut Paralysis alterutrius cruris subseqveretur. Vocatur putatitius qvidam, licet Ordinarius Medicus, qvi Capitis affectum clunium inunctione auferre satagens, omne ferè Pharmacopolium suo more deplet: Sudoriferis, oleis, unguentis pretiosis, pilulis laxantibus & purgantibus, Electuarijs confortantibus di-Ambratis, (rustico scilicet) Cucuphis, cucurbitulis, sectione venæ sinistri pollicis, scarificatione natium, pulveribus Chelaputis suæ (scilicet!) descriptionis, & nescio qvibus nugis alijs, Pseud-iatrorum ridiculis arietibus, negocium confecturus, binis integris mensibus hominem frustrà excarnificat. Re tandem desperatâ & Apoplexiâ Convulsioneq; instantibus (vix enim ampliùs incedere aut caput attollere valebat, nec deerant alia istorum Affectuum præludia) itur ad me: Cui ego, præmissâ largâ Venæsectione, totum ferè caput deradi novacula. Balsamosq; inungi Cephalicos meos magnâ qvantitate jubeo, eâ scilicet capitis parte, qvâ contusus manubrio

sclopeti

ſclopeti attactum digitorum leviuſculum vix ſuſtinebat; Cervicem item & ſpinam dorſi totam. Et ecce! qvem omnes præſentiſſimæ adjudicârant morti, utpote à Medicis & Tonſoribus derelictum, nec hilum qxidem ex omnibus eorundem medicaminibus in melius, in pejùs verò plurimùm & omninò proficiens, altero poſt die Paralyſi & excrutiante dolore, qvi totam oculi orbitam ceu ſtylo acutiſſimo unà cum pericranio lancinabat, levatus, intrà octiduum integrè hoc illitu convaluit, & ſtrenuum jam agit Agricolam. *Tot Pſeud-latrorum Vana molimina Inſcitiæ & fraudulentiæ argumenta eſſe, tàm firmiter credo & ſcio Ego, ac vivere adhùc (laus Deo) me ſciunt, qvi me vident, omnes.*

Teſtis XCIV. Vomitus buſonis vivi.

Bubulci Jeverenſis-Friſiorum puer duodecennis, tot affectibus implicitus, ut memorare cohorreſcam omnes (qvamvis nec omnes memoriâ recolam, qvod ab anno 1624. qvo iſthæc vidi, multorum oblitus ſim veterum, multorum recorder, proh dolor! malorum recentium) certis intervallis concidebat Epilepticus & plus qvàm maniacus dentibus & ungvibus obvios impetebat, pavimentis & muris caput miſerandum in modum impingendo &c. Exorciſaverant hunc

 (neſcio

(nescio jocone an serio diceret Vir admodùm facetus & de Republ. Chymiatricâ optimè meritus, Licent. Billichius, Illustrissimi Oldenburgensium Comitis Archiatros, qvo cum tunc temporis commorabar id loci, & Experimentorum Chymiatricorum aliqvotam particulam, hoc donante, reportabam) aliqvoties, qvi Spiritu immundo eundem occupari credebant, Theurgi: Idq; propterea, qvod Medicorum præstantissimorum remedia incassùm fuissent adhibita, Galenicorum inqvam, qvamvis & Theurgorum ipsorum. Hic tandem puer matris precibus, meaq; intercessione, binas Mercurij Vitæ (qvem in mei gratiam elaboraverat mecum vir Clarissimus, unde dum vivo obstrictus post alia eidem sum) obtinuit doses, & ità obtinuit, ut prima ejusdem cum materiâ indicibili vivum vomitu propelleret bufonem: Unde levatus eo ipso die Bubulci filius, alterâ ejusdem medicaminis assumptione omnibus perfunctus malis pristinis, non semel prætereuntes nos instar Æsculapiorum (participabam enim Ego ex meo islo Sole isthuc splendoris) in genua pronus concidens (testor Virum egregium, Veritatem rei, & simplicitatem pueri rustici) complicatis manibus adoravit. *Ita merebatur Dei ille Nuncius ☿ Vitæ*, qvi Fabritio Hildano ☿ est Mortis! Ridete qvotqvot estis uspiam Cachinnorum Chymiatricorum, si unus & alter

Fabri-

Fabricij Hildani Aliorumq; Error præjudicaverit Mille meis, Millenisq; Millibus aliorum Experimentis! Similes Observationes videre est ap. Schenckium & alios: *Vomitum verò Serpentis & Crocodili* apud Fabrum Obs: 94. *Paradoxa constituunt ea*, qvæ cuivis & ubivis obvia haud sunt, impossibilis tamen nil qvicqvam involvunt: *Monstra contingere quandoq;, tam quoad generationem novorum & anteà incognitorum Affectuum, qvàm quoàd curationem cognitorum & incognitorum, planum esse vel ex his ipsis potest.*

Testis XCV. Phthiseos.

Phthisicus qvidam, Franciscus nomine, Capitanei Florentini (cujus suprà numero III. mentionem feci) veredarius, adeò excarnis, ut umbram potiùs hominis ac hominem repræsentaret, adeò ex sordidissimo pulmonis ulcere asthmaticus, (noctu verò orthopnoicus) ut singulis momentis exspiraturum nemo non statueret certissimè: totis enim diebus ac noctibus purulentias reijciebat foetidissimas, sangvinolentas, viscosas admodùm (unde ludibrium factus misellus ille famulitio reliqvo, Poëta audiebat, qvòd continuis diebus ac noctibus continua expectoraret vel potius exscrearet carmina) vivus ille sceletos. Hic unicâ atq; alterâ Panaceæ meæ dosi adeò sibi restitutus sine ullo alio auxilio est, ut tertiam vel imperante hero Capitaneo renuerct, qvòd medicinâ, præsente sanitate, opus haud

haud esse putaret: qvamvis, qva ratione reliqvam post vitam in Candia transegerit, sciscitari meo sumptu nec volui nec potui, qvod rarissimè aut Venetias aut ad Cretenses proficiscatnr Posta Halberstadiensis, ut qvid isthic rerum agatur, & qvis Patavij promotus in Doctorem vel secus sit ferè nesciat ABSENS-PRÆSENS

CURCULIO, populans ingentem farris acervum.

Testis XCVI. Qvartanæ.

Lapicida qvidam Helvetus, qvi Anno 1624. Parisijs *aux fauxbourgs de Sainct Germain* unà cum alijs extrqendo Reginæ Viduæ Palatio conductus erat, à Sartore Germano mihi adductus, binis annis continuis á Qvartanâ excarnificatus & saltem non exanimis, frustrà Medicorum, uti ajebat, Parisiensium operam expertus, meam reqvirebat opellam. Huic experiundi gratiâ Mercurium præcipitatum rubrum, ad grana sex Conservæ rosarum inclusum, porrexi, & ab eo ipso momento, qvod tempus erat invasionis paroxysmi, integro post ferè anno, qvo ibidem commorabar, nec febrim, nec qvicqvam vidit inde incommodi. *De præcipitati rubri malitiâ stulta circunferuntur stultorum somnia, nec Chymiatris is admodùm placet ipsissimis: Ego verò potissimus eidem*

locum

locum præ omnibus Vomitorijs Mercuriatis tanq; fixissimo, & plus in recessu bonitatis qvàm in fronte malitiæ gerenti, ut tribuam, Rationibus, Auctoritatibus, & Experimentis irrefragabilibus facillimè inducor.

Testis XCVII. Rhagadum Siphylicarum.

Sutor qvidam Patavinus in qvodam viculo prope D. Antonij, *al Santo* vocatum, fanum habitans, à Jacobo Petrolio toti Patavio, Professoribus cumprimis & Studiosis cognitissimo, juratoq; Chirurgo - barbitonsore Curæ demandatus meæ, à ternis, si benè memini, annis ab opere vacaverat sutorio, ob rhagades venereæ luis relliqvias, manuum volas hinc inde cum dolore maximo findentes. Usus erat Medicorum Patavinorum (sic referebat unà cum Tonsore) præstantissimis, eorundemq; Decocta hauserat non semel; sed frustrà. Is pactus mecum de Sostro trium Coronatorum, experiri suasu Petrolij (qvi alias ex me id genus viderat Curationes) Chymiatrica voluit remedia: Cui qvidem pauperculo; non tàm ut preciosioribus parcerem, qvàm ut Mercurium-præcipitatum - rubrum in confirmata Siphylide experirer; propinavi binas ejusdem, singulam qvatuor granorum, doses: Unde prima parùm attrahens seri pellucidi, benigno qvidem unico atq;

 altero,

altero, ni fallor, hominem levavit vomitu, pristinæq; reddidit 8. dierum spacio sanitati. Alteram dosin uxori, quæ nuper pepererat, scabiemq; Gallicam à marito non saltem contraxerat, sed & infanti lactis infecti medio communicaverat, ex aphthis malignis fauces obsidendibus herpetibusq; conspicuam; Uxori, inqvam, alteram dosin, me inscio, concesserat, qvæ præter nauseam & aliqvantilla circa umbilicum tormina nil qvicqvam molita sensibilis excretionis mulierem unà cum infante paulò pòst, ut & Sutorem parentem & maritum, absq; ullo adhibito cuiqvam istorum remedio Topico, sanos & mundos relliqvit. *Ecce bonitatem putatitiè - maligni Præcipitati, qui corpora humana æquè ac metallica, si Fallopio & aliis credimus, tingere & graduare idoneus est, utut hucusq; vel viris doctissimis non satis agnitus!*

Testis XCVIII. Arthritidis & podagræ scorbuticæ.

Dominus Wernerus Heinrichsdorff Consul Elricensis affinis meus, ante qvadriennium lecto adeò graviter trimestri ferè spacio affixus, ut nemo mortalium nec ipse credidisset post octiduum eum superfuturum, (ovoditie enim de felici ex hac vitâ exitù Deum sollicitabant rerum divinarum Antistites id loci) de catarrho exqvisitè salso omnia occupante, sputoq; & screatu salso, vaga Arthri-

Arthritide, podagrâ cumprimis, adhucdùm hodie per vices recurrente, & nescio qvibus alijs malis gravissimis, in agone jam constitutus qveritabatur, per Deum, si qvid superesset remedij salutaris, perq; nostram antiqvam amicitiam idem exposcens. Curaverat hunc toto isthoc trimestri, & sæpius ante, Physicus tunc temporis Northusanus D. Weberus, vir, uti videbatur, non indoctus, sed (pace dicam) Scorbuticæ indolis, ut ex seqventi constabit Observatione, non satis gnarus, & ea propter, ut fieri vulgò assolet, Arthritidem & reliqva vulgatâ methodo frustrà lacessens, magisq; irritans. Qvamvis autem & ego, Francofurto in patriam tendens, tunc temporis medicamentis solitis non satis instructus, ad ea provocare qvæ circùm nos erant, Medicumq; simul & semel Pharmacopoeumq; agere, in tantâ rerum omniùm penuriâ, opus haberem; Voluit tamen divina bonitas, qvæ & in minimis & per minima efficacissimè operatur, ut ternis venæsectionibus octidui spacio administratis, (docuerant enim me Galli mei putridum sangvinem per epicrasin extrahere, & meliorem conveniente victu reponere) Arcano Tartari, Tinctura Antimonij, Spiritu Vitrioli, & id genus alijs intrà octiduum cum administratione omnium, consanesceret vir optimus, & primus hujus viciniæ omnium, huic meo Ergastulo fundamina jaceret. *Conversantium eruditiorum penuria carcer perpetuus: perpetua calumnia vivum sepulcrum!*

Testis

Reverendus Dominus Joannes Cajus, Junior ille, suburbij Northusini Ecclesiastes, annum ferè integrum præ nimiâ tabe viriumq; omnium exhaustu concionibus se abstinuisse sacris, domiq; continuisse referabat, vix ossibus adhùc hærens, animamq; ægerrimè trahens. Curaverat & ipsum toto illo temporis, qvo malè habuerat, tractu, idem Dn. Doctor Weberus ac si Tympanitide (ita ipsius ad eundem habet Autographum) nescio qvâ laboraret, mecumq; , ut solent id genus Scioli, acriter contendebat, qvòd alium, ac ille Affectum, affectusq; causam adsignarem. Ostendi tamen Ego scripto extemperaneo, merum hunc esse Scorbutum, ex signis videlicet pathognomonicis & alijs, & probavit idipsum Curatio. Spacio enim aliqvot septimanarum pauculis medicamentis, Spiritibus videlicet Tartari, Vitrioli, Decoctisq; Chymiatricis aperitivis & antiscorbuticis simplicissimis, ab ipso Domino, me præeunte, domi suæ confectis & continuò assumptis, eò reduxi, cum Deo, amicum & condiscipulum veterem, ut ternis annis proximis, Tympanitidis suæ immemor, officio sedulò fungens, Dn. Affinis errorem agnosceret, multosq; ad me ægros id genus alios, gratitudinis ergò, Podagricos cumprimis, qvâ & ipse per vices distinebatur, rem teneret. *Ex mille Medicis ne ternos qvidem inveni-*

venias Scorbuti sat gnaros; utut se fingant Æsculapios: Hinc tanta ægrotorum strages, tanta mortalitas, tanta Archiatrorum, nedum gregatiorum errata: Ut Statuas mereantur Fracastorianâ splendidiores, ære perenniores, viri Clariss Sennertus & Martinus, *qvi penicillo plusqvàm Apelleo isthuc Medicorum opprobrium nobis depinxerunt; Meruisset Pyramidem* Eugalenus, *ni curationem subticuisset!*

Testis C. Tertianæ duplicis, & scabiei malignæ.

Joannes Anecker Sartor Argentoratensis, sexagenis paulò major nescio, an minor, in areâ Collegij habitans, & eapropter Professoribus & studiosis omnibus (qvòd rarò sine his esset ille, ijsdemq; Musæa domi subministraret suæ) cognitissimus: à præstantissimis (sic retulit) Argentoratensium Medicis Galenicis, ternis aut qvaternis (ni memoria me fallit) mensibus in vanum curatus & cichoraceis pastus; accepit à me binas Panaceæ meæ doses, qveîs mortem, qvam obvijs ulnis & seriò se expectare profitebatur, (& ostendebant id vires) intrà octiduum à limine suo oppidò angusto, nec fòrs tantum admittente Gigantem, interclusit, *& quod per facultates non licuit*

licuit grato animo compensavit. An cessante PseudoGaleniâ, cessavit vel cessabit Medicina? Vix credo: Imò vigebit Eadem & caput exseret in honorem Dei, et proximi emolumentum, vel in vitiis idgenus homuncionibus singulis et omnibus.

Testis CI. Ozænæ.

Guntzelius Eberti Osterrodensis, amplissimi Domini Zigemarij ducum Brunsvic. & Lüneb. Consiliarij, & Archi-Præfecti &c. Amanuensis, Ozænâ laboraverat ab aliqvot annis continuis, tanto fœtore spiritibus vitalibus & animalibus infestâ ossisq; cribriformis obstructione molestâ, ut manè expergefactus Cloacæ fœtidissimæ (parcat Reverentia Existentiæ rerum, ignoscat Physicæ Ethica) ubicunq; locorum ageret se compingi, imò totis diebus & noctibus præter spurcissimam Mephytin nilqvicqvam se olfacere diceret, manus sibi inijcere, ni liberaretur, non semel paratus. Huic plethorico & compotationibus assueto sangvinem ad libram integram extraxi, qvâ phlebotomia eodem die levatus, altero affectus sensibiliter imminutus est. Hinc pilulis meis cephalicis bis vel ter horâ somni, errhino verò vitriolato aliqvoties de die usus, phlebotomian exacto octiduo repetijt, Panaceamq; adsumpsit, & à Scorbuto, in qvem pronus inclinabat, unà cum Ozæna se expedivit, integerrimè, nec binis post annis

Halber-

Halberſtadij unà cum hero, Cognato meo chariſſimo, me ſalutans, de nulla amplius moleſtiâ vel verbulum fecit, ſed rogatus, pancraticè ſe valere & gratias agere immortales, relaturum aliqvando, reſpondit. *Ridicula Methodus, quæ ſemper deviat: Stulta Theoria, quam Praxis redarguit!*

Teſtis CII. Ulceris dyſepulotici.

Nobilis qvædam virgo Franconica, ulcuſculis ſcatebat circa malleolum, rotundis, calloſis, dyſepuloticis, nullâ arte, nullo ingenio Medicorum & Chirurgorum Francofurtenſium (uti ad me, conſilium expetens meum, Heidelbergam perſcripſit Clariſs. Guilh. Erneſtus Schefferus Med. D. id loci Poliatros) cicatricem admittentibus. Reſtitârant eidem jam pridem menſes qvos cauſas iſtorum ulcerum ſtatuebat (nec fors extra rem) Schefferus ille meus. Huic itaq; malo obviam eundem erat, ne vôto defrandaretur nobiliſſima puella, Calcinato Paracelſico, qvod tantam habuit ungvento vel Ceroto Iſis (ità vocant Itali) reconditum, vim & efficaciam, ut nubilem & deſponſatam puellam thoro maritali paulò poſt inferret, Medicoſq; Chirurgoſq; Francofurtenſes attonitos relinqveret. *Tantùm reponit ſanarum, quantùm exeſt putridarum carnium, carnifex MERCVRIVS.*

Teſtis

Consultissimus Dn. Galenus Arnoldus Freytag U. J. Doctor, Heidelbergensis Academiæ Syndicus, & Criminalium per inferiorem Palatinatum tunc temporis Advocatus, Frater meus germanus & unicus, Varice prehensus admodum dolorifico & satis deformi circa malleolum dextri pedis dextrum, sectionem, ultimum Chirurgorum refugium, admittere nolens, Oleum meum Saturninum per splenia applicuit, & per Dei misericordiam fraternamq; dexteritatem ob inuit ex Saturni cum Venere conjugio, qvod à Planetis omnibus, nedum crudeli illo cruentoq; Marte ne sperare qvidem nedum petere ausus fuisset *Mectet Carnifex medeatur Chirurgus: Zapatam & Freitagium amet, qvem beat Saturnus.*

Testis CIV. Febris & delirij ex crapulâ.

Crapulæ curationem (qvòd familiarissima illa sit nobis, hæc verò oppidò apud Auctores rara & incerta) heîc subnectam, & primam hanc centuriam in nomine Jesu claudam.

Oswaldus qvidam, Nobilissimi cujusdam Capitanei, (cujus familiam memoriâ non recolo; Isthuc saltem, qvòd Generoso Heidelbergensium Gubernatori Dn Heinrico à METTERNICH consangvinitate

nitate esset propinqvus) qvi curæ se tradiderat Clarissimi D. Raidij, Heidelbergensium anno 1630. Professoris & Archiatri, famulus Cubicularius, ex nescio qvo suo errore herum Nobilissimum ad aliqvot dies relinqvens, vinoq; se qvotidiè ingurgitans, incidit in febrim cum delirio (ne furore dicam) perpetuo. Misertus tandem herus & æger nobilissimus famuli imprudentis, eundem recipit in gratiam, medicinamq; ut adhiberem apud me institit. Hunc lecto inclusum toto die Vitriolico Spiritu pavi, ut ternis vicibus drachmam unam cum dimidiâ fermè exsorberet, Et ecce! totus in sudorem solutus spondæq; qvasi innatans, eo ipso die febris & delirij expers, culpam deprecatus pristina servit a Capitaneo exhibuit, & pancraticè imposterùm valuit: Hero suo, qvi Galenicis hecticam suam commiserat, fatis concedente. *Tanta est inter Galenica & Chymiatrica remedia proportio & distantia, qvanta inter VITAM & MORTEM, lucem & tenebras, cælum & terram, Paradisum & infernum &c.*

EPILOGUS.

HÆc est, Benevole Lector, Curationum mearum Medico-Chirurgicarum Centuria prima, qvam publico examini sistere; calumniatorum verò plusqvam sycophanticorum impijs contrà

meam & Famam & Fortunulas moliminibus opponere, Existimatio suasit & Bonum publicum. Judicet nunc, cui vel mica Candoris circà pectus hæret & Conscientiæ, an benè agendo malè audire merear? an Veritatem & Sensuum fidem ulli vel Sectarum, vel Opinionum, vel Effictæ Antiqvitatis prætextui postponere Cordatus tenear Medicus, Sensatus Artifex? Deum testor, ad manus meas Vapparum maleficio paucos pervenisse præter hos, & subseqventibus Centurijs enumerandos Aegros, à proximo isthoc septennio, qvo ab Exteris redux cum Centauris & Cyclopibus conflictor indesinenter: Diarijs qvidem meis consignatæ ab annis retroactis paratissimus Omnes, siqvidem istas me & bonos alios mei similes, mihiq; & amicitiâ & vicinitate loci propinqvos, mansuras à Pseudo-Galenicis & Pseud-Apostolis, Insanoq; Putatitiorum Medicorum Vulgo hominumq; fæce Calumnias & Injurias vel suspicari saltem, aut per somnium agnoscere potuissem. Dabo nihilominùs imposterùm operam, ut istorum, qvi vel binis verbis me salutavêre & medicamina gustavêre mea, si non ipsa nomina, saltim habitatio & vitæ conditio Curationisq; successus exprimatur, ne qvisqvam existimet prosperos saltem me recepto more heîc annotasse, relictis sinistris. Utinam verò tantam Pseudo-Galenicorum malitiam & barbariem vel animo concipere mihi licitum fuisset, cum in Castris & Noso-

dochijs

dochijs Exterorum versaret, & Praxi abundarem, dedissem tibi aliqvot Centuriarum Medico-Chirurgicarum Chiliades, his-ijsdem & similibus Chymiatrorum-remedijs peractas, ut si cæcutire, vel insanire potiùs, in tanto Solis meridiani jubare allubesceret malitiosissimis Censoribus & Veritatis hostibus, vel à talpis ipsissimis & improbis Momis redarguerentur. Sed desino qverelarum, & Vindicem cujusvis operum imploro Oculum: *Magistratum verò totius Mundi quemvis advorter*, qvid sui sit circà reformationem Medicastrorum Officij prudenter consideret, Usitatis Pseudo-Galenicorum, Pharmacopœorum, Chirurgorum-Barbitonsorum-Balneatorum &c. crassisq; ignorantijs & malitijs modū statuat, Vulgatæ Medicinæ, qvæ non nisi Subditorum suorum internecione se recommendat, nimiùm ne confidat, Chymiatros qvotidianis & freqventissimis successibus claros suis præficiat Rebuspublicis, eorundemq; Consilijs sanioribus adsuescat, aut certò statuat, malè interemptorum sangvinem sibi suisq; Rebuspublicis publicum portendere exitium. Galenicam Medicinam, siqvidem illa à Viris judicio pollentibus & eruditissimis administretur (cæteris tamen paribus) non damno: execror verò Pseudo-Galeniam, qvæ, ut ferè fit, à Tenebrionibus & Lurconibus qvibusdam pharmacopoeorū mancipijs & parasitis, solis titulis & Bullis Academicis ampullantibus (in qvibus præter vestes & annulos, præterq; Thrasonicam & decep-

toriam jactantiam, præter ambitionem, gulositatem, pleonexian, dolosam vafriciem, præsumptionem, ostentationem, assentationem; uno verbo: præter vitia multijuga, præter ipsissimam crassissimamq;, utut splendinam, Ignorantiã, nil qvicqvam conspicere est, qvod Bonum ornet & Virum & Medicum) in contumeliam Dei, Naturæ, & Medicæ Artis, Clademq; Rerumpublicarum & miserorum langventium vulgò non tàm prætenditur, qvàm publicè (proh dolor!) ap: benè aliàs constitutas Respublicas exercetur, qvæq; Pestis perniciosissimæ instar Totum Mundum depopulatur. Istane nec Ego nec genuini Ulli Medici exercitatiq; Practici genuinam agnoscimus, neq; agnoscemus unqvam, *Parati demonstrare*: spuriam illam, mancam hinc inde, undiqvaq; verò superfluam, Vanam, falsam, sophisticam, ridiculam, impiam & absurdam esse, qvod nec Rationi ulli, neq; ullius Experimentis, neq; Auctoritatibus Doctorum & Praxeos gnarorum Virorum ullo pacto se conformet: Aut si istorum judicio, qvi docere falsissima qvàm addiscere & admittere Verissima malunt, non satis probemus, qvòd intendimus, apodicticè, plusqvàm verisimiles tamen apud generosos animos reddemus, Deo dante, conceptus nostros:

Fungar Ego intereà duræ vice cotis, acutum
Reddere qvæ ferrum valet, exors ipsa secandi;

qvòd cognitissimum habeam in Magnis & Voluisse sat esse. Qvisqvilias & nugamenta Pseud-Ia-

torum

rorum notissima jampridem esse Ijs, qveis vel micula contigit certissimi Experimenti, solidæ Eruditionis, saniq; Judicij, nemo, sat scio, dubitabit cui sanum est synciput. Si delirare cum Mundo, aliorumq; propriaq; ingenij figmenta obtrudere Oraculorum in vicem Lectoribus imprudentioribus, libros ex libris consarcinare, per mortes suorum clientium famam & nummos aucupari, Artis esset, cui non contingat versuto & improbo, aptoq; phantasmata speculari infinita, utut inania, esse Artifici & famatissimo & locupletissimo? Hocce meo Prodromo nihil istorum omnium intendi Ego; saltem isthuc: Inductivè, &, si Pseudo-Galenicis meis placuerit, Demonstrativè ut nunc & imposterùm (si Deus vitam, vires, & sumptus largire dignabitur) probem: Entium Pseud-Iatricorum periculosâ perniciosissimâq; in Medicinâ Practica (qvæ benè administrata omnem exhaurit uno momento & annihilat speciosam illam, utut ridiculam & Vacuiplenissimam, utrigerulorum qvorundam Rhetorum Theorian) nil qvicqvam opus esse, & malè impieq; fieri per infinitas istas Receptarum frustranearum farragines, qvæ commodè, optimè, unoq; modo, semper & ubiq; per infallibiles & paucissimas aliqvas fiunt Panacæas, qvarum præcipuas in hujus Prodromi Exegesi grato Lectori communicare animus est: Qvas intereà temporis benignè expectent Philiatri, dum ego

F 3 qvie-

qvicqvid certioris sinceriorisq; Praxeos ab elegantioribus addidici Chymiatris, & à certitudinis genitrice Experientiâ hausi, suis locis disponam & inseram, Rationibus Methodum declarantibus confirmem & convestiam, Practicæq; Medicinæ Candidatis elegantioribus, viam ad operatricem Medicinam planiorem, qvam qvæ dumetis & senticetis Pseud-Iatrorum consita est, sternere allaborem: Qvod meum qvalecunq; studium neminem improbaturum confido, qvi Medicinæ Vulgaris labyrintheas & inextricabiles ambages cum Dispendio Fortunularum, Annorum, & Existimationis ingressus, exinde sese extricare hucusq; & sine Ariadneo filo regredi neqvit. Legat intereà, hisce conferat, & executioni methodicè mandet, cui Veritas & Conscientia, Salusq; Publica potiùs, ac Lucrum turpissimum & malè parta Autoritas, malèq; educata Calumnia cordi est, Observationes aureolas Chymiatrorum, Qvercetani cumprimis, Renealmi, Horstij, Petr. Joannis Fabri, Angeli salæ, Petri Poterij, Rulandi, Coberi, Rhumelij, Poppij, Bartolini, Bartoleti, Bickeri, Lullij, Ulstadij, Pithopæi, Bodensteinij, Macasij, Jac. Fabricij, Gebri, Baconis, Riplæi, Trithemij, Artephij, Villanovani, Wimpinæi, Coleri, Turnheuseri. Sennerti, Arnisæi, Brendeliorum, Rolefinckij, Vallesij, Val'eriolæ, Crucéi, Blondi, Bellonij, utriusq; Salæ, Zwingeri, Plateri, Kesleri, Rixingeri, Pelshoferi, Pomani, Montani, Mylij,

Micha-

Michaëlis, Habrechti, Cloſſæi, Stromajeri, Baſil. Valentini, Röslini, Mermanni, Untzeri, Clodij, Babſtij, Roſenbergij, Wittenſteinij, Cratonis, Arragoſij, Dudithij, Oslevij, Paracelſi, Poterij, Fabri, Renealmi, Cornacchini, Algurethi, Lautenbergij, Dornæi, Amthoris, Amwaldi, Scheunemanni, Köppenij, Rubei, Euonymi, Franc. Antonij, Bruxij, Snickeri, Staricij, Vetteri, Walchij, Grulingij, Gramanni, Putei, Pedemontani, Amelungi, Severini, Matthioli, Reuſneri, Heurnij, Mösſij, Drebbelij, Graſſæi, Graſeccij, Graſebeccij, Crollij, Nollij Smollij, Schollij, Etzleri, Faventini, Bornetti, Rhenani, Phædronis, Kegleri, Baniſteri, Renecceri, Geſneri, Andernaci, *Van-der* Mile, Varignanæ, Montagnanæ, Meſuæi, Palmarij, Avicennæ, Ariſtotelis, Hippocratis, Billichij, Braceſci, Mynſichti, Tentzelij, Syluij, Libavij, Liebautij, Hollerij, Vigonis, Maſſæ, Conradorum, Kornthaueri, Korndorfferi, Tagaultij, Guidonis, Bertapaliæ, Stockeri, Piſonis, Martini, Carraræ, Terrentij, Ganiveti, Gordonij, Brunſvigij, Alb. Magni, Zapatæ, Euchyontis, Vegæ, Guainerij, Argillatæ, Furnerij, Monardis, Forſteri, Cardani, Braſſavolæ, Bovij, Mülleri, Schenckiorum, Majeri, Turqveti, Rivierij, Vigenerij, Fernelij, Peletarij, Darioti, Le Roy, Beguini, Glückradij, Barthij, Paræi, Philologi, Minderceri, Greiffij, Kerneri, Tanckij, Septalij, Hartmanni, Petrei & Noſologiâ ſuâ contentorum, Wareänij,

nij, Finckij, Beckeri, Fioravantæ, Crusij, Tholdenij, Süchtenij, Mouffeti, Gansij, Freitagiorum, Burggravij, & qvas propediem publicæ luci exponet Vir Nobilis & experientissimus Dn. D. Jo. Clöben à Märcken, Reverendiss. & Illustrissimi Halberstadensium Administratoris &c. ut & Reip. Aqvisgranensis respectivè Archiatros, & Physicus Ordinarius, qvasq; integro volumine publicavit Clariss. Horstius, Professor olim Giessensis, & Reip. Ulmensis Archiatros, nec non & Eas, qvas Ternis & amplius Centurijs in Moréa, Candiâ, Aegypto &c. ap. Turcas, Arabes, Judæos &c. Chymicis remedijs peractas, bono donare publico constituit, unà cum auctario Poppiano, selectissimo & secretissimo improbiq; laboris Opere, Clarissimus, & sortem & sapientiam humanam, nedùm Medicam, multùm prætervectus, Dn. D. Joannes Agricola Naumburgensium ille Hermes: Milleq; aliorum non Log- Iatrorum sed Chymiatrorum, non Rhetoricâ sterili, sed qvotidianis successibus celebrium Practicorum monumenta, suoq; exinde suppleat Errori & Defectui. Ego hîc finio pro tempore, Deumq; veneror, hancce meam Opellam Reipublicæ Christianæ & Medicæ Saluti; Calumniatoribus verò, qvi Famæ, Vitæ & Fortunulis insidiantes jampridem & etiamnùm meis acerbiuscula nonnulla mihi extorserunt, isthæc documento & emendationi esse jubeat. Tu qvisqvis es, Lector, qvem pro Status condi-

conditione debitè reveritum officioséq; salutatum venio, oppressæ Veritati patrocinari, Sectarum qvarumcumq; nugis, Experientiæ reclamantibus, ægrosq; pessundantibus, abrenunciare, hujusq; Prodromi AUCTOREM; qvi tantùm curat Invidiæ venenatos morsus, - - - qvantùm

Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas;

tibi commendatissimùm habere ne didignabere.

Pascitur in vivis LIVOR, post fata qviescit:
Tunc suus ex merito qvenq; tuetur honos.

Jo. Crato à Crafftheim Trium Impp. Medicus, in Epist. ad Zvvingerum, quæ inter Scholtzinas 136. est:


Ridiculum est de maximis rebus in ARTE MEDICA & tanta tamq; inexplicabilia disputare, & cum ad rem ventum est, nescire qvid admovere debeas. Plurimos mihi iratos reddidi cum hæc illis dixi.

Magnificus Dn. Andreas Dudithius, Consiliarius, Orator, & Medicus Cæsareus in Epist. ad P. Monavium q. inter Scholtz. 39. est:

Qvid est, obsecro, in Totâ Philosophiâ, qvid item in ARTE MEDICA Vestrà adeò firmum, qvod ab hominibus acutis infirmari neqveat? Removeque paulisper ANTIQVITATIS PRÆJUDICIUM, &

& res NON EX *Auctoritate Veterum*, *Sed ex* VERITATE & EVENTU æstima: *Intelliges magno conatu magnas nugas nobis obtrusas esse.*

FINIT PRODROMI HUJUS CENTURia Prima: Seqvitur propediem (Deo dante) Secunda & reliqvæ.



ACCLAMATIONES VOTIVÆ CLARISSIMORUM VIRORum, Fautorum & Amicorum &c.

I.



Umen FREITAGI *Medicorum* suave-
coruscans
Libera nubêclis ceu nitet alma *dies*,
Clarior illuces, dum TESTES sistis apertos,
Artem qvi Chymicam, qvanta sit illa probant.
Laus ea Chemiæ: qvamper medicatio felix
Contigit extremis Herculeisq; malis.
Hæcce sero tumidum deplens intercute corpus
Curat, temperiei restituitq; suæ;

Hæc

Hæc ſcit Qvartanæ medicamina ſana parare,
Hactenus Aceſiam qvæ latuêre rudem.
Ut numero dicam, qvod longâ ſcribere poſſem
Iliade: hæc morbos eximit omnigenos.
Sint; qvi commendent Decocti pocula longi;
Pocula qvæ ſtygio deteriora lacu
Viſcera conſpurcent, nativo infeſta calori;
(Attamen his vires Vulgus ineſſe putat!)
Falluntur. Virtus laxo diſperſa remittit,
Aſt benè compacto corpore ſtricta valet.
Laus ea Chemiæ: Sterile iſta & inutile pondus:
Ponderis Hæc expers utile pondus habet.
Plura docent, majora docent qveîs credier eſt fas
(Livida ſeu nôlit ſeu velit Invidia)
TESTES FREITAGI. Sic ſe exſerit undiq; VERUM, ut,
Nube ſolet pulsâ clarior ire dies.

Joannes Michael Suſatenſis,
Philoſ. & Medicinæ Doctor, Profeſſor
publicus in inclutâ Lipſienſium
Acad. Chymiatros & Practicus.


II.

MAgnos magna decent: Jovis Ales nulla columbas
Imbelles victrix, progeneratve Upupas
Natus humo hæret humo, nec ſpectat noctua Solem,
Æthereas penetrat mens generoſa plagas.

FREITA-

FREITAGI ætherei soboles Jovis, æthera spirans,
Disijce ridendas Ungue aqvilino Upupas.

Joannes Agricola, Philos. Med. & Chirurg. Doctor, Chymiatros & Practicus Naumburgensis.



III.

SUnt Tria principio qvæ dependentia ab Uno,
Cuncta suo gremio, qvæ tenet orbis, habent.
Mundi Anima hæc Cœlo deduxit provida ab alto,
Compedibus stringunt verùm Elementa suis.
Sordida tolle Elementa, suo da ea Terna nitori,
Figendoq; suum qvàre Magisterium.
Discite Morosophi, qvid distent æra lupinis:
Qvàm benè FREITAGII hæc pagina culta docet!
Stultum est Hippocratem Sciolumve crepare Galenum:
Naturæ Hermetisq; utere Clave, sat est.

Joannes Pharamundus Rhumelius Chymiatros & Mathematicus Noribergensis, nunc Sereniss. AUGUSTI Anhaldinorum Principis &c. Archiatros.

IV. Chi-

IV.

CHemica qvid possint, nec Pseudo-Galenica novit
Turba, nec insanâ noscere mentè cupit
Chemia Naturam pandit; qvæ Hæc condidit intùs
Elicit Illa; trahens, qvæ latuêre, forìs.
Chemia Naturam decorat, qvam stercora fœdis
Immergunt tenebris, nobilitatq; vices.
Chemia cunctigenis Morbis ex asse medetur,
Suavius & meliùs, tutius & citiùs.
Mancipia hæcce negant stolidi furibunda Galeni
Pernegat hæc Artis rosor & Osor iners.
Verùm aliter monstrat celebris FREITAGIUS, *Hermes*
Teutonicus, Patriæ lausq; decusq; suæ.
TESTIBUS id firmans non ternis (tot licet omnè
Verificent dubium) sed mage Centurijs.
Hos adeas ignave Theon, miracla Saturni
Discas, Vitrioli, Mercurij, Stibij.
Sed Tu, Naturæ sollers scrutator- amator
FREITAGI, inceptâ currere pergè viâ:
Nec morsus Momi, nec diræ spicula lingvæ
Te moveant: satis est, plaudat Apollo Tibi,
Durat honos Doctis, ipsosq; ad sidera tollit:
Et juvat indoctis displicuisse Viris.

Nicolaus Lanius, Sereniss. Principis CHRISTIANI Anhaldini &c. Archiatros, Chymiatros & Practicus Qvedlinburgensis.

V. Vide.

VIderat igniculos tua *Julia, Lipsia, Jena*,
Leucoris atq; tuos,qvos inflammare parati
VVolffius, Arnisæus, Sennertus, Brendeliusq;,
Belgis & toto divisis orbe *Britannis*
Nec non & *Gallis* te transmisere docendum.
Obstrupuere *Viri*, qvos clara *Lutetia* passim
Prædicat, ingniculos sufflantes undiq; & ipsi
Gorræus, Cousnot, Riolanus, Blacvodæus,
Clavius & Moreau, cum *Malleto Marescallus*.
Nec mora: discentem simul audiuêre docentem
Pulpita Cheirurgôn magni molimina *Regis*,
Qvæ *Sala, Billichius*, qvæ *Tentzelius, Paracelsius*
Victuris posuêre libris. Hinc Gallia passim
Te excipit ulterior, *Biturges Aureliaq;*
Lugdunum & *Rhodani* qvicqvit complectitur *Ora*:
Magdalis hinc Lazariq; coloni *Massilienses*.
Barbariæ tractus eleganti opposita *Sabaudo*
Littora atas, *Pisasq;* subis, portusq; Liburnos.
Vix tua florentes *Florentia* & alma *Ferara*
Mirantur miracla satis, vix *Mantua* magno
Cum *Bartoleto*, vix *Cornacchinius* ingens,
Vix *Octonarius* tot opes tàm ingentia dona

Sat

Sat capiunt, dignoq; vehunt super æthera plansu.
Cætera non memoro; non *Veronæ amphitheatra*
Lugduni triqvetrasq; *Pyramides*, aut *Marii*
Urbem
Monstrantem *Venetas* spaciosa per æqvora gazas;
Urbem illam æternam libertatisq; parentem;
Piscariæ, *Palmæ* non munimenta, nec atræ
Limina Tisiphones tot *Nusodocheia*, recenti
Qvæ famâ & meritis decorant tua nomina, nullis
Nomina nec Momi aut Sêcli subjecta periclis.
Nec referam *vada clara Padi* atq; *Antenoris Urbem*
Qvâ tua *tergeminâ* præcinxit tempora *Lauru*
Collibus è Salcis prænobile germen janus
Collæus, annis multùm venerandus & Artè-
Qvanta *Cremoninus* de te, (qvo secula parem
Rara tulêre Sophum) qvamq; ardua *Sala* locuti,
Novimus, & magni *Prævotl* encomia de te
(Postqvam publicitùs genij explorasset acumen)
Auribus atq; oculis his usurpavimus *Ipsi*.
I nunc FREITAGI augustos arrode Triumphos
Livor iners: I *Rhenum*, *Albim*, *Nicrum*q; *Visurgim*q;,
I *Mare* cum *Terris*, I nunc *Doctos*q; *Bonos*q;
Argue, & augustos *Prodromi* confunde Triumphos!

Macte,

Macte, ô FREITAGI, decus immortale Medentum,
Macte, atq; æternum igniculos extende per Ignem,
Qui radijs totum illustret splendentibus Orbem,
Qvi q; tuos decoret post secula sera Nepotes.

Christophorus Keuling Med. D.
Nationis nuper Germanicæ Artistarum in Acad. Patavinâ antiqvissimâ
Procurator, nunc *Physicus* in
Imp. Northusâ *Ordinarius*.

VI.

PRistina ne subeat commercia corporis *Hermes*,
FREITAGIO doctam cedere vult animam.

Henricus Torræus Medicinæ
Doctor, Chymiatros & Practicus
Nemeto-Spirensis.

VII.

DEnt alij sine sine mente sonos, sine pondere bullas,
Optima FREITAGIUS, vera, probata dedit.

Et

Et dubitemus adhuc tanto nos credere Phœbo
Nostraq; , cui Curas Arsq; Deusq; beant?
Vilia miretur Vulgus: mihi cognita nostri
Virtus FREITAGII dexteritasq; placent.

Tobias Theringius, Medicinæ
Candidatus, Philo-Chymicus
& Medicus-Practicus
Eglensis.


VIII.

ARdua perbrevibus tractare negocia verbis,
Exiguus labor est? Eximius labor est.
Præstitit egregiè presentis laude Libelli,
FREITAGIUS, Medici gloria magna Chori.
Qvæ latuêre diù nunc observata propagat,
Hinc meritò laudis præmia magna feret.
Hæc præclara tene, volve observata revolve,
Qvæ tibi FREITAGII docta Minerva dedit.
Exhibet Antiqvæ hæc Praxin Medicæ Artis & Usum,
Crede mihi, mirà cum brevitate, Tibi.
FREITAGIUS qvantus, testatur Teutona tellus,
Gallia sceptiferens, Comprobat Italia.

G Scripta

Scripta placent Medicis, Ægris medicamina prosunt:
Hæc Medico, hæc ægro commoda larga dabunt.
Cuncta placent Doctis, sunt cuncta probata probatis:
FREITAGIO grates, qvi leget illa, feret.
Accipias animo; qvod porrigit ipse, sereno,
Ut suêsti, mordax Zoile, differ onus.
Hic nihil invenies qvod poſsis carpere linguâ
Dicaci: Taceas dum meliora feras.
Qvid voveamus Ei? Vitam cum perpete Famâ,
Qvò vivatq; DEO, qvò valeatq; diù?

Joannes Mejerus, Med.
Candidatus & Mathemati cus
Qvedlinburgensis.



IX.

Guelphipolita Nov- Antiqvam qvi suscitat Artem,
Prodijt è claro sangvine FREITAGIDUM.
Parce Vetustatem stolidè inculcare Novator,
Qvam docet hic, Vetus est Ars, Tua Tota Nova est.

Vae

Vis Veteris tibi dem Criteria certa Noviq;?
Vera Vetustam-Artem, Falsa Novam redolent.
Utq; Deus prior est Sathanâ, Antiqvusq; dierum
Summus Mendacij JOVA Parente prior:
Ut prior est *Hermes* ter-maximus ille Galeno,
Sic prior est Vetus-Ars FREITAGIJ illa Novâ.
Dicite Pontifici jurata caterva Galeno,
Dicite nugantûm culmina Pseudiatri:
Dicite qvis Veterum, qvis Tricas ante Galenum
Scripserat, has, qvas vos, crediderátve apinas?
Num Moyses? Tubal-Caîn? aut, homo primus, Adamus?
Num Salomon? Lucas? Num Vetus illa Sophôn
Turba, prior vestro pridem & mage docta Galeno?
Sol-ne aliqvem exoriens occiduusve tulit?
Hermes-ne? Hippocrates? Podalirius? anne Machaon?
Nemo horum aut nullus. Qvis fuit ergò? Apage!
Cede Novum Antiqvo, cedant Mendacia Vero,
Naviget Anticyram, qvi tua Vera negat
FREITAGI. AD SENSUS putide atq; superbe Sophista!
FREITAGIUS qvis sit sat sua scripta probant:
Scripta Hippocraticis dignissima honoribus. Ast Tu,
Perdere nunc fratrem parce, Sophista, tuum.

Ni facias, miseris qvam tu ingeris Arte Novatâ,
Crede mihi, veniet in tua damna, Lues.

Hermannus Salomon, Med.
Candidatus, Nobiliss. ab Hagen, Geist
dictorum, Moderator, & Practicus Grüningensis.



Ob Vacuas aliqvot pagellas
Adjeci sequentia:

PSEUDO-GALENICORUM EFFIGIES EX ZODIACO VITÆ MARCELLI Palingenij Leone scil: ejusdem paginâ mihi 126.

Consule, si qvà opus est, Medicum, vel Clinicus ille
Vel sit Chirurgus: Chirurgi certior est Ars:
Nam qvid agat certum est, & apertâ luce videtur.
Clinicus ipse autem, qvi nunc Physicus qvoq; fertur,
Dum Lotium infelix spectans inde omnia captat,
Dum tentat Pulsum venæ, dum Stercora versat,
Fallitur & fallit: Sed non discriminis æqva
Conditio; Ille miser moritur, causamq; canendi
Linige-

Linigeris præbet calvis calvisq; Cucullis:
Hic alius contrà, sceleris mercede receptâ
Caussatur Superos, ac Fatis imputat ipsis
Si qvis obit, lætusq; implet multo ære crumenam.
Heu mihi! *Penè omnes Casu, non Arte medentur*!
Qvippe aliqvam qvicunq; Artem benè novit, agendo
Aut nunqvam aut saltem raró peccabit: at Isti,
De qvibus est sermo, de Centum vix erit Unus
Qvem sanare qveant, qvem non fortasse trucident.
Unde istud? nisi qvod pars horum maxima nescit
Qvid faciat, qvid sit prorsus Medicina: Sed ipsi
Dum tantùm incumbunt Sophiæ, & Dialectica discunt
Vincla, qvibus valeant indoctum nectere vulgus,
Vix elementa Artis medicæ & primordia libant.
Sic Labyrintheis ambagibus ad sua tecta
Instructi redeunt atq; Enthymemata vibrant:
Hinc tumidi incedunt, hinc publica præmia poscunt.
Id satis esse putant (nec decipiuntur) ad hoc, ut
Carnifices hominum sub honesto nomine fiant.
O miseræ Leges, qvæ talia crimina fertis!
O cæci Reges, qvi rem non cernitis istam!
Vos, qvibus imperium est, qvi mundi frena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, Hanc tollite Pestem
Consulite humano generi. Qvot nocte dieq;
Horum Carnificum culpâ mittuntur ad Orcum?

Vel perfectè Artem discant, vel non medeantur.
Nam si aliæ peccant Artes, tolerabile certè est;
Hæc verò nisi sit perfecta, est plena perîcli,
Et sævit tanqvam occulta atq; domestica Pestis.
Non multum est, igitur tutum his committere sese
Qvorum doctrina est preciosâ in veste videri,
Gemmatoq; auro digitos ornare asininos.

AUCTOR ad Libellum suum ex eodem Palingenio, Piscium scil: Calce, p. 363.

TU nunc, parve Liber, diversa per Oppid currc,
Invidiam subiture gravem: nam multis ubiq;
Oblatratorerit, cujus lacerabere morsu.
Non deerunt certò, qvi eum nil edere possint
Dignum laude, tamen gaudent maledicere semper,
Carpendisq; aliis famam venantur inanem:
Hos Tu lividulos Catulos orisq; maligni
Exosus refuge, & Doctos inqvire Bonosq;,
Qvi pauci sunt: Sed paucis potes esse beatus.
Nimirum pauca in terris Deus optima gignit.
Hos reverenter adi, & merces his exere nostras,
Qvas si laudarint, satis est: Qvid cætera dicat
Turba, parùm cura, & Vulgi couvitia ride.
Judicium Vulgi insulsum, imbecillaq; mens est:
Stulta placent stultis: Obsonia qvisq; palato
Digna suo qværit: Non omnibus una voluptas:
Sed docti atq; boni, qvæ sunt pia, vera, & honesta
Auscultant, avideq; legunt, discuntq; libenter,
Hic

Hic cibus illorum est, hæc consolatio mentis:
Talibus ergò Viris (nisi me præsagia fallunt)
Gratus eris, vultuq; hilari spectabere ab illis.
Vade igitur felix, longissima vive, Libelle,
Tempora: Cumq; meos tellus obduxerit artus,
Tu varios Populos diversaq; Regna superstes
Quære, studeq; Meum latè diffundere Nomen.

Parerga Vacuum explentia XXVI.

VEra Medicina Sectam non crepat ullam.
Plus præstat Eadem, qvàm promittit:
Naturam æmulatur, citò agit, simplex est.
Commentum itaq; Pseudo-Galenicum mera est
Fraus & Insania:
Et speciosum Latrocinium, Palingenio si credimus.
Idem de Pharmacopolisticis speluncis Judicium:
Hæ enim pestes crumenarum, restes ægrotantium:
Medicorum Candidorum clades & opprobrium:
Scelestorum & Pleonecticorum qvorundam Arx
& tutum refugium.
Magistratus æqvus has reformet, necessum est,
Aut iram Dei cum Subditis expectet certissimum est.
Qvam ob Injusticiam continuam & negligentiam
istam nos jam experiri, extrà dubiam est:
Chirurgia-Barbitonsoria abominanda Carnificina
est:
Eandem per Privilegia statuminare, impium est:
Sostrum Eidem adjudicare, sacrilegium est:
Ullum

Ullum Eidem committere Ægrorum, stultitia est:
Carnificinam hanc, Artem credere, ridiculum est.
Chirurgo Barbitonsorem anteponere, absurdum est.

Accidentia Vulnerum Tonsorum sunt maleficia,
Et omnia Tonsorum Opera, perniciosa & frivola:
Unico enim Balsamo sanantur sanabilia & impediuntur Accidentia:
Hujus Architectrix est Ars-separatoria.
Omnis Veritatis Magistra & Rerum Domina:
Sapientiæ Mater, Practicæ-Medicinæ Anima.
Soli Chymiæ post Deum & Naturam debetur Omnia:
Sine hac Medicum se vendere & Philosophum, summa est Insania.

TANTUM EST.

Errata festinatio peperit: Candidus corigat Lector.

Symb: VIRTUTE non SORTE.

Deo Trin-Uno Spagyro summo, Veritatis & Chym-Iatrorum Protectori, sit laus, honor & Majestas in infinita seculorum secula.

FINIS.

